

AB

1579



fallung 386

0054

Calixtus, Georg

15 Schriften u. Disputationen



Henricus Be.


Anno 1662


cui constat 369l.


P. VII. 84.





Promptuarium Biblicum od. Hebräischer Concordanten
Pauli Crelly. Von M. Daniele Feseler in dem
Versuch gegeben.











73
1732-14 f. 20m
CYN OEQ.
DE

VISIBILI
ECCLESIASTICA
MONARCHIA CONTRA
PONTIFICIOS
EXERCITATIO,
QVAM
SVB PRAESIDIO

GEORGI CALIXTI
S. THEOL. D. ET PROF.
PVBlice
IN ACAD. IVLIA

die XIX Aprilis, horis ante & post meridiem

SVSTINEBIT

THEODORVS Danckwers
LVNEBVRGENSIS.



HELMESTADI,
IN TYPOGRAPHEO CALIXTINO EXCVDIT
HENNINGVS MULLERVS.

CID IDC XLIII.

EXIMIIS
ECCLESIAE LVNEBURGENSIS
DOCTORIBVS,
VIRIS

Perquam Reuerendis, Clarissimis, Praestantissimis,
DN. PETRO Keshbinder / S. S.
THEOL. D. ET SUPERINTEN-
DENTI VIGILANTISSIMO,

CÆTERISQVE OMNIBVS
ET SINGVLIS PASTORIBVS ET
ECCLESIASTIS FIDELISSIMIS,

*Dnn. Patronis & Promotoribus meis summis, partim etiam Agnatis
& Affinibus omni observantia cultu aeternum colendis :*

VT ET

Pl. Revdis, Amplis & Doctissimis

VIRIS,

DN. GEORGIO Rhüden/ Ecclesiae collegia-
tae, quae Bardovici est, Canonico & Seniori meritissi-
mo, Affini meo inprimis honorando,

DN. VVILHELMO Danckwers/

ET

DN. LVCAE Sabian/
ibidem Canonici; & illi quidem Patrueli, huic
autem Cognato,

Fautoribus meis magnopere colendis

HANC DISPUTATIONEM THEOLOGICAM
LVBENS MERITOQVE

D. D.

THEODORVS Danckwers

Lunenburgensis.



DE VISIBILI EC-
CLESIASTICA MO-
NARCHIA
contra Pontificios.

Qui hodie Romani pontificis maximus, quem vocant, partes sequuntur, Ecclesiae in terris militantis credunt & docent visibile quoddam esse caput, idque ipsum esse Romanum Pontificem. Non tamen omnes ex aequo omnia Pontifici deferunt, sed nonnulli limitationem & moderationem adhibent, praesertim Galli & Parisienses. Plerique vero cum primis Iesuitae, & qui Romanae curiae student, praemiorum, ut videtur, spe illecti, siue auctoritate doctorum suorum in deum abrepti, immensae & illimitatae potestati nec terminos nec modum statuunt.

II. Docent itaque Pontificem jure diuino & ab ipso Christo constitutum esse Ecclesiae caput & principem, cum auctoritate de rebus fidei determinandi & definiendi infallibiliter, adeo ut quod ab ipso definitum fuerit sine certa animae pernicie in dubium vocari nequeat. Quin nullam aliam esse in Ecclesia, veritatis, quatenus quidem in hominum notitiam venit, fideique certam & indubitatam regulam praeter eam Pontificis

A

aucto-

auctoritatem. Vnde porrò sequitur, quæ Christiani credunt in auctoritatem Pontificis vltimò resolui, siue auctoritate Pontificis tamquam primo credendi principio niti. Inde dicitur Gregorius VII, *absq; suâ auctoritate nullum librum, nullumq; capitulum canonicum haberi.* Gratianus Distinctione nonâ, ex epistolâ Nicolai Papæ, quòd Vetus & Nouum testamentum recipiantur, constitutioni Pontificiæ imputat. Silvester Prierias Epitome contra Lutherum: *Quicumq; non innititur doctrinæ Ecclesiæ Romanæ, Romaniq; Pontificis, tamquam regula fidei, id est, credendorum infallibili, hæreticus est.* Idem Dialogo aduersus eundem: *Indulgentiæ auctoritate Scripturæ nobis non innotuerunt, sed auctoritate ecclesiæ Romanæ, Romanorumq; pontificum, quæ maior est.*

III. Proximum est, vt potestate polleat sub iacturâ æternæ salutis obligandi mortales ad credendum ea, ad quæ credenda Christus Dominus non obligauit, id est, condendi articulos fidei, & numerum eorum augendi. Leo decimus hanc Lutheri conclusionem damnauit: *Certum est in manu ecclesiæ aut Papæ prorsus non esse articulos fidei statuere; imò nec leges morum seu bonorum operum.* Ita septem numero esse sacramenta, nec plura, nec pauciora, olim certè de fide non erat: hodie verò post definitionem Tridentinorum à Pontifice approbatam est de fide. Qui non credebat, Confirmationem, quam vocant, à Christo institutâ esse, vel ab alio, quàm ab episcopo, ordinariè administrari non posse, olim anathema non erat; hodie verò est, quia ita placuit Tridentinis & Pontifici. Idem iudicium de aliis pluribus, quæ olim quidem in vtramque partem disputabantur, sed hodie sententiâ Pontificiâ in alterutrâ determinata sunt. Certè Baronijs quid sentiat, apertè fatetur, imò ex antiquitate

tate

tate & historiâ demonstrare se ait, *ex arbitrio Romani Pontificis pependisse fidei decreta sancire, & sancita mutare*: item, ab eodem pendere, *quid velit esse in uniuersâ ecclesiâ sacrosanctum, & ab omnibus custodiri*. Antonius Posseuinus Apparatu, verbo, Florentina synodus: *Romanus pontifex cunctis Christianis necessitatem imponit, hanc fidei veritatem credendi, Spiritum scilicet sanctum essentiam suam & sui esse substantiam habere simul à Patre & Filio*. Ab Abrahamo Bzouio appellatur conditor & demiurgus sacrorum dogmatum.

An. 1553, §
224.

De R. Pont.
cap. 23.

IV. Vtteriùs sequitur, quemadmodum omnibus ad salutem necessarium est Christum caput suum agnoscere & Christo subdi: ita quoque omnibus necessarium esse, vt Pontificem caput agnoscant, & Pontifici subdiciantur. Disertis verbis id ipsum profitetur Bonifacius octauus, cap. Vnam sanctam, Extrauag. de maijoritate & obedientiâ. *Subesse, inquit, Romano Pontifici omni humane creature declaramus, dicimus, definimus & pronunciamus esse de necessitate salutis*. Hinc docet Baronius, *sine obedientiâ sedis Romane nec fidem nec bona opera prodesse*.

An. 1497,
§ 17.

V. Porrò ex eodem fundamento, nempe quòd caput sit Ecclesiæ, & delegatam habeat potestatem eam, quam ipse Christus, arrogat sibi Pontifex potestatem soluendi vota Deo facta, & iuramenta inuocato Dei nomine præstita: soluendi item vel jungendi matrimonia contra leges & jura. Innocentius tertius, *Secundum plenitudinem potestatis, ait, de iure possumus supra ius dispensare*. Martinus quintus *dispensauit cum quodam, qui germanam suam acceperat in uxorem, vt ex Antonino memorat Angelus Clauasius*. Quum Vladislaus Hungariæ & Poloniae rex decennales cum Amurathe Turcarû rege pactus esset inducias, Christianis quidem libro Euangeliorum,

c. Proposuit, de concess. præb.

Verbo Papæ.



orum, Turcis verò codici Alcorani digitos inter juran-
dum imponentibus; displicuit ea res Eugenio quarto
pontifici, dictanti, nullum valere foedus, quod sine suo
scitu & consensu cum hostibus religionis percussum es-
set. Vladislaum itaque religione iuramenti solutum
inducias abrumpere, & in Turcos exercitum ducere
compulit. Concurritur ad Varnam, haut procul ab Ha-
drianopoli. *Diu certatum est aequis viribus, dum Christiani*
suas acies virtute sustentant, Turci verò suas numero complent.
Quumq; per plures horas nunc illi, nunc isti cederent, inclinata
ad extremum Christianorum acie, victores euadunt Turci, qui
iuramenta non solum domesticis fidei, sed etiam hostibus seruanda
demonstrant. Ita Aeneas Syluius, qui postea Pius secun-
dus. Vladislaus ipse vnà cum Iuliano Cardinale legato
Pontificio, rupti foederis suatore, & præcipuâ nobilitate
occubuit. Caput eius hastæ infixum per Asiam &
Græciam circumfertur & ostentatur. Antonius Bonfi-
nius in historiâ Hungaricâ rem in hunc modum propo-
nit: *Amurathes quum suos ab Vladislao rege non sine magnâ ca-*
de fugari conspicaretur, depromptum è sinu codicem initi san-
ctissimè fœderis explicat, intentisq; in cœlum oculis, Hæc sunt, in-
quit, Iesu Christe fœdera, quæ Christiani tui mecum percusserunt:
per numen tuum sanctè iurarunt, datamq; sub nomine tuo fidem
violarunt, perfidè suum Deum abnegarunt. Nunc, Christe, si
Deus es, tuas measq; hîc iniurias, te quaeso, vlciscere, & his, qui
sanctum tuum nomen nondum agnouere, violatæ fidei pœnas o-
stende. Vix hæc dixerat, qui vltimum in se impetum exspe-
ctabat, quum prælium, quod ante anceps ac dubium diu fuerat, in-
clinare cœpit, &c. Nihilominus Bellarminus, *Dispensat,*
inquit, Pontifex in votis, & iuramentis, quæ Deus ipse iussit
reddi, & quorum solutio de iure diuino est. Item: Dum votum
aut iuramentum viget aut ligat; peccat, qui illa non seruat. Sed
si vica-

Anno 1444
10 Nouem.

Epist. 81.

Cont. Bar-
claium c. 21

Cap. 31.

si vicarius Dei, accepta à Deo auctoritate, & ipsius Dei nomine relaxat obligationem voti vel iuramenti, iam non peccat, qui ea non seruat.

VI. Ulterius, posito, Romanum pontificem à Christo vniuersæ ecclesiæ caput & principem esse constitutum, inde porrò deducunt, ipsum non modò singulis ecclesiæ ciuibus siue Christianis, & singulis episcopis esse superiorem, sed omnibus quoque in vnum congregatis, hoc est, Ecclesiam vniuersam œcumenico concilio repræsentatam Pontifici esse subditam. Leo itaque decimus in concilio Lateranensi ausus fuit edicere, *solum Romanum pontificem pro tempore existentem, tamquam auctoritatem super omnia concilia habentem, conciliorum indicendorum, transferendorum ac dissoluendorum plenum ius & potestatem habere*. Ergo etiam quatenus decreta conciliorum Pontifici probantur, eatenus robur habent: si improbentur, inualida erunt. Adde, quæ hac de re diximus Disputatione de Communionem sub vtraque, num. CLXXI & seqq.

Sess. 11.
an. 1516.

VII. Præterea, quia caput & princeps esse vult Pontifex, vniuersam ecclesiasticam potestatem omnium tum episcoporum tum presbyterorum à se vno suspendit, vt nulla ab vlllo siue episcopo, siue presbytero nisi ipsius beneficio aut consensu exerceri queat. Eandem itaque pro suo arbitrio dat & reuocat, extendit & restringit. Hinc reseruatio casuum. Iohannes Sarazenus Dominicanus Parisiis has aliquando theses proposuit, quas tamen reuocare coactus fuit. *Omnes potestates & iurisdictiones ecclesiæ, aliæ à Papali potestate, sunt ab ipso Papa quantum ad institutionem & collationem. Eiusmodi potestates non sunt de iure diuino, nec immediatè institutæ à Deo. Non inuenitur Christum. tales potestates, scilicet alias à Papali,*

An. 1419.

expressisse, sed tantum supremam, cui commisit ecclesie fundationem.

II X. Ex eadē potestatis plenitudine indulgentiæ, per quas pœnarū, post remissas culpas, juxta doctrinam Pontificiam, residuarum, & clauium virtute in opera pœnalia conuersarum, & nisi hīc exsoluantur, in purgatorio luendarum, gratia fit. Quin ad ipsum purgatorium hæc potestas extenditur, non quidem per modum jurisdictionis, sed per modum suffragij, vt loquuntur, dum videlicet Pontifex è thesauro ecclesie promit, & infernalīa tormenta in purgatorio perpetientibus applicat, quantum ipsis redimendis sufficiat. Hinc non saltem ipse animas, quas vult, purgatorio eximit, sed etiam aliis eximendi potestatem facit. Concedit videlicet orantibus vel Missam audientibus aut dicentibus apud aliquod altare, vel habentibus aliquam coronam, rosarium, numisma, imaginem, crucem, quam ipse consecrauerit, vt ad eum, quem præscripsit, modum orantes, vel confitentes, vel communicantes, vel missificantes *liberent toties quoties animam è purgatorio iuxta illorum intentionem, per modum suffragij.* Quis possideat eiusmodi aliquam rem tanto priuilegio donatam, vt plurimum ne ipse quidem nouit Pontifex. Multò minùs nouit, quando possidens vtatur, vel cui in purgatorio animæ priuilegium liberationis applicatum eat. Et nihilominus credendum est, animam liberari toties, quoties peracto, quod præscripsit Pontifex, intentio fuerit liberandi. Quis autem præstat, vt intentio illa exsequutioni detur, siue in rem conferatur? Num dæmones Pontifex ita habet obnoxios, vt obseruent, quānam res eiusmodi consecratas habeant, quando vtantur, & quam animam earum virtute toties quoties liberatam cupiant? An potius

potius Deus voluntatis Pontificiæ exsequutor est? Deus profectò omnium optimè nouit, quod nescit Pontifex, nec fortè dæmones certò sciunt, nempe quinam talia, qualia diximus, rosaria, numismata, cruces vel imagines habeant, quando iis ritè vtantur, & quas animas liberare intendant. Videtur itaque dicendum, quòd Pontifex faciat constitutiones, verbi gratiâ, Qui habet consecratam imaginem Lojolæ vel Xauerij, quoties pro animabus in purgatorio orauerit, toties animam, quam liberare intendit, liberabit: eaque liberata tormentis eximetur, & ad cœlestia gaudia Deiq; beatificam visionem admittetur. Talem, inquam, constitutionem facit Pontifex; quomodo ea deinceps, & post suum obitum, exsequutioni demandetur, nec gnarus, nec sollicitus. Quorum igitur operâ & interuentu in rem transferatur, siue quinam voluntatis Pontificiæ sint ministri & exsequutores, meritò dubitatur & quaritur: nec videtur eiusmodi constitutio effectum posse sortiri, nisi eum Deus ipse curet. Pontificis itaque fuerit pro lubitu constituere, Dei verò constitutionem semel factam toties quoties exsequi. Tantum sibi in spiritualibus rebusque diuinis arrogat Pontifex.

IX. Cæterùm ne sic quidem sistitur. Quia enim monarcha catholicæ ecclesiæ audire vult & haberi, ex eâ hypothesi semel factâ porrò sibi arrogat supremam in temporalibus potestatem, deponendi videlicet, & dignitate ac potentiâ exuendi Imperatores, Reges, Principes, subditosque eorum à jurato obsequio & fidelitate absoluendi. Sed quantum Pontifex, quod temporalia attinet, & imperia atque regna mundi, sibi tribuat, aut ab aliis tribui patiatur, hic non enarrabimus, quod alteri exercitationi reseruamus. Labet tamen hic sub-

jicere

jicere Dictatus Hildebrandi siue Gregorij septimi, qui compendio doctrinam de omnipotentia Pontificia complectuntur & proponunt. Habentur Regesti epistolarum eius Pontificis libro secundo, post epistolam LV. Baronius editos esse vult in synodo Romana, ab illo habitâ anno clō LXXVI. Onufrius Panuinius vitâ eius, quam secundo tomo Defensionis Bellarmini inseruit Iacobus Gretserus, in annum clō LXXIV conijcit. In mediâ, inquit, *Quadragesimâ Romæ in Basilicâ Lateranensi, quæ Constantiniana appellatur, primò synodum generalem multorum Episcoporum, Abbatum, & aliorum Prælatorum congregavit; in quâ circa XXX (sunt autem XXVII) edidit capitula, seu canones, quos DICTATVS appellauit: quorum maior pars antea parum in vsu fuerat, & à nemine prædecessorum suorum vniquam attentata: verum ad firmissimum Ecclesiæ statum iaciendum & ad omnia tentanda, quæ animo agitabat, animo videlicet vniuersalem dominatum meditante, idonea. Ita quidem Onufrius. Gretserus tamen in margine ausus fuit adijcere; Hæc omnia decreta ex iure diuino deducuntur, partim directè, partim indirectè. Nec quidquam noui sanxit Pontifex, sed quæ apud multos in obliuionem venerant. Baronius etiam adserit, sententias istas hæcenus in ecclesiâ catholicâ vsu receptas fuisse. Quid reliquum, nisi vt exclamet Melicerta, perisse Frontem de rebus?*

An. 1076.
§ 31.

X. Alibi partem eorum dictatorum protulimus: hîc eos integrè apponemus.

Quòd Romana Ecclesia à solo Domino sit fundata.

Quòd solus Romanus Pontifex iure dicatur vniuersalis.

Quòd ille solus possit deponere episcopos vel reconciliare.

Quòd Legatus eius omnibus episcopis præsit in Concilio, etiam inferioris gradus, & aduersus eos sententiam depositionis possit dare.

Quòd

Quòd cum excommunicatus ab illo, inter ceteri nec in eadem
domo debemus permanere.

Quòd illi soli licet pro temporis necessitate novas leges conde-
re, novas plebes congregare, de Canonicâ Abbatiam facere, & è
contra, diuitem episcopatum diuidere, & inopes unire.

Quòd solus possit uti Imperialibus insigniis.

Quòd solius Papæ pedes omnes Principes deosculentur.

Quòd illius solius nomen in Ecclesiis recitetur.

Quòd unicum est nomen in mundo, Papæ videlicet.

Quòd illi liceat Imperatores deponere.

Quòd illi liceat de sede ad sedem necessitate cogente Episcopos
transmutare.

Quòd de omni ecclesiâ, quocumq; voluerit, clericum valeat or-
dinare.

Quòd ab illo ordinatus alij ecclesiæ præesse potest, sed non mi-
litare; & quòd ab aliquo episcopo non debet superiorem gradum
accipere.

Quòd nulla synodus absq; præcepto eius debet Generalis vocari.

Quòd nullum capitulum, nullusq; liber canonicus habeatur
absq; illius auctoritate.

Quòd sententia illius à nullo debeat retractari, & ipse omni-
um solus retractare possit.

Quòd à nemine ipse iudicari debeat.

Quòd nullus audeat condemnare Apostolicam Sedem appel-
lantem.

Quòd maiores causa cuiuscumq; ecclesiæ ad eum referri debeant.

Quòd Romana ecclesiæ numquam erravit, nec in perpetuum,
Scripturâ testante, errabit.

Quòd Romanus Pontifex si canonicè fuerit ordinatus, meritis
beati Petri indubitanter efficitur sanctus, testante sancto Enno-
dio Papiensi Episcopo, & multis sanctis Patribus fauentibus, sicut
in decretis beati Symmachi Papæ continetur.

B

Quòd

Quòd illius præcepto & licentiâ subiectis liceat accusare & reconciliare.

Quòd absq; synodali conuentu possit episcopos deponere & reconciliare.

Quòd à fidelitate iniquorum, Regum puta & Imperatorum, quos iniquos esse iudicauerit, subiectos potest absoluerè.

Ita summam nouæ doctrinæ, per quam ad vniuersalem dominatum viam muniret, ante annos 10 LX, & quod excurrit, Hildebrandus proposuit.

X. Antiquiori illi jungemus duorum recentiorum scriptorum verba, vnius qui sub ipsa cœptæ reformationis initia, alterius qui hoc nostro tempore sua publicauit. Syluester Prierias, Magister Apostolici, vt vocant, palatii, B. Lutherum nundinationes Indulgentiarum rectè modesteq; taxantem refutaturus emissâ Epitome hæc adserit, quæ subijcimus: *Quòd in ecclesiasticâ hierarchiâ Romanus præsul sit hierarcha primus, non dignitate modo, verum etiam iurisdictione; Quòd sit hierarcha summus, omnem ecclesiasticam hypostasim sub ditione suâ continens; summus ubiq; & perpetuò; auctor omnis hierarchicæ iurisdictionis, à quo etiam episcopis quæuis cum ordinis tum iurisdictionis potestas insit; Quòd sit legum conditor, quæ ex necessitate salutis omnes afficiant; Iudex omnium solus diuinâ auctoritate; Quòd totus mundus simul auctoritatem eius nedum auferre, verum nec limitare quidem aut restringere possit; Quòd inter homines solus auctoritatem suam immediatè à Deo habeat; Iudex sine iudice; Quòd decreta Conciliorum nullum ligent vel adstringant, nisi Romani Pontificis auctoritate firmentur; Quòd ipse nullo modo ligetur Conciliorum canonibus vel decretis, vt conciliorum sunt; Quòd Pontifex indubitatus ne dum à Concilio, sed neq; à*

1019

toto mundo iure queat deponi vel iudicari, etiamsi ita sit scanda-
losus, quod populos secum cateruatim ducat primo gehenna man-
cipio, id est, diabolo; Quod solus habeat decidere omnes questi-
ones & dubia in fide iudicio auctoritativo siue iuridico & ulti-
mato, ita quod sub pœnâ mortis aeternae ac temporalis eius decisio-
nes sequenda sunt; Quod sit iudex infallibilis veritatis.

XI. Alter, cujus verba productum iri diximus,
Abrahamus Bzouius est, gente Polonus, sectâ Domini-
canus, officio Pontificius historicus. Edidit is Romæ
ante annos XXIII grandem librum, cui ut argumen-
tum, ita quoque titulus Romanus Pontifex: ejus enim
extollendi & supra omnem humanam conditionem e-
uehendi nullus ibi nec finis nec modus. Vnum nunc
saltem locum adscribemus, è quò, *ὁς ἐστὶν ὁ ἄνωγος* & ὁ ἀέωνος
prodigiosus liber queat æstimari. Itaq; inquit, solus Pe-
trus, & post eum non nemo (omnis) Romanus pontifex, quem-
admodum pastor, ita & iudex est omnium pastorum & iudicum,
qui omnes solus possit iudicio suo vel ligare vel solvere. Solus et-
iam Romanus pontifex est omnium Christianorum monarchus,
mortalium supremus, primæ sedis, quæ à nemine iudicatur, præ-
sul, Christi in terris vicarius, Conciliis iure diuino prælatus, au-
ctor & iudex Conciliorum, visibilis corporis mystici ecclesiæ ca-
put, regni cælorum regius sacerdos, nec falli nec fallere sciens, o-
mnium censor, sponsus sponse sine rugâ & sine maculâ, totius oui-
lis Dominici omnium agnorum & ouium pastor, domus quæ colu-
mna & firmamentum est veritatis supremus paterfamilias,
(Christo, puto, partes famuli relinquuntur) ciuitatis san-
ctæ de cælo descendens princeps, nauis melioris nauarchus, & in
summâ, toto iure, omnibus & singulis Christi fidelibus, siue singu-
lariter discretis, siue in vnum collectis, tam Imperatoribus, Regi-
bus, Principibus, quàm Patriarchis, Episcopis & reliquis pastori-
bus superior. Quamobrem sicut remiges nauarchum, cives prin-

cap. 15, pag.
122 edit.
Colon.

*capem, familia patrem, oues pastorem, sponsa maritum, Leuitæ
sacrorum antistitem, cæci videntem, falsi ducem fallere & falli
nescium, populi aut proceres regem, membra caput, cætus suum
presidem, inferiores superiorem non iudicant: ita nemo Pontifi-
cem Romanum iudicauerit, omnibus mortalibus iure supremo su-
periore. Hæc ibi Bzouius.*

XII. Quæ de auctoritate & immensâ potestate Romani Pontificis ex ipsius & Pontificiorum doctorum sententiâ hætenus in medium produximus, refutaturi, primò id ponimus, affirmantem Pontificis & Pontificiorum esse, ideoque ab ipsis probandam & argumentis euincendam: & quidem quum secundum ipsos articulus fidei sit, imò articulorum fidei principium & fundamentum, Scripturis probari oportet; aut certè ad minimum, vt ipsis omnia deferamus, traditione, id est, antiquæ & primitiuæ Ecclesiæ perpetuâ praxi & constante testimonio.

XIII. Principia enim ex lumine naturæ & politicis accommodari huc non possunt. Nam quid Ecclesiæ, quæ in finem supernaturalem supernaturalibus ordinatur mediis, nec aliis quàm orbis terrarum finibus clauditur, commune est cum regnis mundanis, quæ finem terrenum sibi habent propositum, consequendum mediis ab humano ingenio industriaque dependentibus; &, quantacumq; sint, certis tamen limitibus coërentur? Vniuersum enim genus humanum post sui multiplicationem numquam in vnum aliquod corpus siue societatem civilem, aut, quod idem est, rempub. coiuit. Si Deo non placuit vniuersum mundum in temporalibus ab vno mortali gubernari, quomodo placeat eundem ab vno in spiritualibus dependere? Quandoquidem autem tantopere à regnis terrenis Ecclesia distat,

stat, & discriminata est ideò Ecclesiam regnum celo-
rum siue caeleste vocat Seruator Matth. x i i i, 24; xx, 1;
x x i i, 2: & manifestò testatur regnum suum non esse ex
hoc mundo, Ioh. x i i x, 36.

XIV. Dices fortè: in hoc tamen conueniunt Ec-
clesia & respub. quòd vtraque congregatio, corpus
& societas quædam sit, & quidem apta nata regi & gu-
bernari, imò quam necesse sit regi & gubernari. Bene
inquam, nec horum quidquam negauero. Cæterùm si-
cut non sequitur, Necesse est rempub. gubernari. Ergo
monarchico regimine gubernari necesse est; ita multò
minùs eiusmodi consequentia, quod Ecclesiam attinet,
obtinebit.

XV. Attamen dices, inter regiminis formas o-
ptima & præstantissima est monarchia. Respondeo, id
nec olim concessissent Lacedæmonij, Athenienses, Sy-
racusani, Carthaginenses, Romani; nec hodie conces-
serint Heluetij, Ordines Belgici, Genuenses vel Veneti;
ne quid de ipsis nobis Germanis dicam. Quin Aristo-
teles disertè, *Si plurium quidem, inquit, sed omnium bono-* ; Polit.
cap. 11.
rum virorum imperium dicenda est Aristocratia, vnius verò Re-
gnum; optabilior erit ciuitatibus Aristocratia Regno, modò mul-
ti similes reperiantur, qui videlicet omnes boni sint, eaq;
propter olim fortasse sub Regibus erant, quia rarò viri admodum
excellentes virtute reperiuntur, maximè in paruis ciuitatibus.
Iosephus ita loquentem Israëlitis Mosen introducit: 4 Antiq.
cap. 8.
Ἀριστοκρατία μὲν ἔν κεράτισον, καὶ ὁ καὶ αὐτὴν βίβλ. Optimum
quidem est optimatum regimen, & in repub. quæ ita administra-
tur, viuere, nec est cur aliam eius speciem concupiscatis. Sanè
non imus inficias Monarchiam optimam esse seclusis il-
lis, quæ inter homines ex infirmitate & corruptione hu-
manâ monarchias solent deformare; si videlicet qui v-

vanus rerum summæ præest, affectibus abripi, errare & falli non posset; si per seipsum omnibus prospicere, omnia cognoscere & administrare posset; si denique mori non posset. Interregnum enim administrationem publicorum negotiorum abrumpere, & sæpe ingentium turbarum causa esse solet. Ista verò omnia nulli mortali, sed vni Deo & Pontifici nostro immortalis Iesu Christo conueniunt. Citra controuersiam itaque sub Christo monarcha regimen Ecclesiæ monarchicum est, idque optimum.

XVI. Attamen, inquires, Christus visibilis monarcha non est. Neque ut in regno hoc cælesti & repub. spiritali visibilis sit, necesse est. Regit enim & conseruat hoc suum regnum inuisibilibus potissimum modis, donis videlicet gratiarum, & Spiritus sui sancti, præsentiaq; potentiâ & prouidentiâ diuinâ. Adde quòd genuini hujus reip. ciues, veri scilicet fideles & electi, qui tamen præcipua pars sunt, quatenus tales, inuisibiles sint. Nihil itaque mirum ipsum quoque caput inuisibile, siue sensibus nostris subtractum esse. Neque inuisibilitas ea obstat, quò minus officia capitis reip. huic cælesti conuenientia obeat & exerceat. Quin imò inuisibilis vbique in hoc suo regno adest, & singulis dona sua & gratiam impertit.

XVII. Cæterum si secluso tantisper inuisibili Christo, consideremus solum externum regimen, ut sensibilibus & ab hominibus visibilibus obitur; dico primùm id ipsum tale non esse, ut Ecclesia quatenus Ecclesia eo legitime & sufficienter gubernari & facta recta præstari possit. Neque igitur ab hoc regimine, à quo iura maiestatis plenariæque potentiæ absunt, denominationem accipiet. Deinde dico, hoc ipsum, quale quale fuerit

fuerit regimen, rectius committi pluribus. Vbi enim virorum præstantium copia est, & rem omnem non armis & bello violenter, sed placidè consilio & prudentiâ in tranquillitate & quiete geri oportet, ibi ex ipsius rei naturâ & Politicorum placitis aristocraticum regimen monarchico præfertur. In Ecclesiâ verò ita, vti diximus, comparatum esse certum est. Certum igitur & hoc est, eandem quatenus ab hominibus externo regimine gubernatur, rectius aristocratio quàm monarchico gubernari.

XIIX. Quamquam autem ista ad eum se modum habeant, quâ tamen ratione & regiminis formâ Ecclesiam suam à ministris suis Seruator administrari voluerit, eiusmodi discursu colligi necessario & euidenter non potest. Nemini enim dubium fuerit, quin pro infinitâ suâ & sapientiâ & potentiâ multis modis iisque optimis Ecclesiæ regimen quiuerit instituere. Quem verò ex omnibus ipse elegerit, & quâ conditione Ecclesiam suam ministris suis commiserit, discendum est ex eius factò, de quo per Sanctam scripturam omni posteritati voluit constare. Quippe quæstio est non juris sed facti, vt loquuntur. Absit enim vt nos Christo jura præscribamus, aut quo pacto Ecclesiam instituere debuerit, definiamus. Restat igitur hoc solùm, vt quo pacto instituere voluerit & de facto instituerit, inquiramus. Ex Scripturâ igitur monarchiam Pontificis & œcumenicum primatum, & infallibilitatem, & quæ cætera annectunt, demonstrent. Non iniuriâ enim iisdem illos alloquimur verbis, quibus Donatistas in causâ non multùm dissimili Augustinus: *Quare, inquit, super ordi-* De unitate
natis, siue constitutioni diuinæ additis, dicendo, in nullis eccl. c. 6.
terris heredem permanere Christum, nisi vbi potuerit cohere-
dema

*dem habere Donatum? Dicamus nos, nisi ubi potuerit cohe-
redem habere Romanum Pontificem.* Pergit Augustinus: *Non
inuidemus alicui: legite nobis hoc de Lege, de Prophetis, de Psal-
mis, de ipso Evangelio, de Apostolicis literis: legite & credemus.*
Aut, si hoc minimè possunt, testimonio saltem incor-
ruptæ antiquitatis, siue quatuor aut quinque priorum
à nato Seruatore seculorum consensu fidem concilient.
Nam quum ex his tantum principiis, quomodo Eccle-
siam suam Christus instituerit, & gubernari voluerit,
sciri & demonstrari possit ac debeat; quid ex iis ipsis ha-
beat, necessariò fuerit ostendendum.

XIX. Principio autem considerandum, in quos
usus & quos fines constitutus fuerit vnus vel plures, qui
Ecclesiæ præessent, & quas partes muneris sui illis Ser-
uator demandarit, siue quibus in rebus & officiis Chri-
sti vices obeant, vel obire etiam possint. Munus guber-
nandi Ecclesiam accipi potest vel de munere primario,
& à quo quis verè & propriè caput, princeps & monar-
cha Ecclesiæ denominetur; vel de munere secundo
atque ministeriali, à quo videlicet aliquis non caput,
sed minister Ecclesiæ dicatur.

XX. Primario quod ita appellauimus muneri
annexa sunt iura, quæ vocari solent maiestatis, inter quæ
præcipuum ordinare media, quibus societas ad suum
finem perueniat, id est, leges ferre. Quoniam enim mul-
titude siue societas hominum apta & nata est regi, nec
seipsam potest in finem ordinare; ordinatur itaque &
ducitur à suo principe, siue ab vno siue à pluribus, penes
quos ordinandi scientia & potestas. Si hoc verum de
vllâ societate, maximè profectò verum est de societate
siue multitudine eorum, qui ad finem supernaturalem
& vitam æternam contendunt. Ad hunc enim seipso,
ordi-

ordinare vel disponere minimè possunt, nec suapte industriâ media inuenire, quibus eò perueniant. Maximè igitur necessarium, vt à capite Ecclesiæ hæc ipsa media ordinentur & præscribantur. Quoniam autem fide per caritatem efficace finis supernaturalis obtinetur, quando præscribitur & mandatur, quid saluandis sit credendum, & quid faciendum siue fugiendum, hoc ipso leges Ecclesiæ feruntur, quibus in finem sibi proprium ordinetur. Præscribere igitur, & in vim obligationis cum promissione obtinendæ & comminatione amittendæ salutis promulgare quid de rebus diuinis sit credendum, quid item saluandis sit faciendum, hoc ipsum est Ecclesiæ suas proprias, & quæ ejus fundamentum sint, leges ferre; siue, vt nostris & domesticis potius terminis vtamur, articulos fidei condere & sacramenta instituere.

XXI. Articulos autem fidei quum dicimus, eos intelligimus, qui omnibus & singulis creditu ad salutem sunt necessarii, ita vt nemo possit seruari, si non credat, aut si contrâ credat. Dupliciter enim necessarii sunt, primùm ita, ne quis ignoret; deinde ne quis neget, aut propriè & directè contradicat: vt damnationi obnoxium faciat tum simplex priuatiua, tum prauæ dispositionis ignorantia. Per sacramenta verò intelligimus ritus non modò significantes, sed gratiam, quam significant, dotemque spiritualem consequendo fini supernaturali facientem conferentes. Manifestum autem est vtrumque eidem auctori ferendum acceptum, neq; alium vllum præter Deum opt. max. Christumque *Ἰησοῦν Χριστόν* vel credenda præscribendo hominem in finem supernaturalem ordinare, vel ritibus externis & sacramentalibus dona gratiæ Sanctique spiritus innectere siue ad-

C jungere

jungere posse. Deinde id quoque certum, quidquid v-
triusque est, jam tum in Ecclesiâ necessario fuisse, quàm
primum ipsa fundata fuit & constituta. Quomodo e-
nim Ecclesia esse, & vllum quod salutis ergo credi vel
agi necesse fuerit, ignorare possit? Et quis dicere ausit
quidquam horum Ecclesiæ primitiæ & Apostolicæ de-
fuisse? Rectè Thomas in quartum, dist. xvii, quæst. i ii,
art. i: *Ministri ecclesiæ instituuntur in ecclesiâ diuinitus funda-
datâ: & institutio ecclesiæ præsupponitur ad operationem mini-
strorum, sicut opus creationis præsupponitur ad opus naturæ. Et
quia ecclesia fundatur in fide & sacramentis, ideo ad ministros ec-
clesiæ novos articulos fidei edere, aut editos remouere, aut noua
sacramenta instituere, aut instituta remouere non pertinet: sed
hoc est potestatis excellentiæ, quæ soli debetur Christo, qui est ec-
clesiæ fundamentum.*

XXII. Seruator itaq; noster quando in terris egit,
& Ecclesiæ Noui testamenti fundamenta jecit, prius-
quã in cœlos adscenderet, quidquid in illâ creditu vel
factu ad salutem necessarium esset, ipse ordinauit, præ-
scripsit & instituit. Hinc igitur adscensurus, *Profecti,*
inquit, docete omnes gentes, baptizantes eos, & docentes eos
obseruare omnia, quæ præcepi vobis, Matth. xxiix, 19, 20. Et
addit: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, seruabitur: qui ve-
rò non crediderit, condemnabitur,* Marci xvi, 16. Vnde Pau-
lus Ephesinos presbyteros alloquutus, *Non subterfugi,* ait,
quò minùs annunciarẽ vobis omne Dei consilium, Act. xx, 37:
atque adeo Euangelium, quod prædicabat, appellat *po-
tentiam Dei ad salutem omni credenti,* Rom. i, 16. Cæte-
rùm quum res sit manifesta, pluribus non opus est te-
stimoniis.

XXIII. Quandoquidem igitur articuli fidei nec
ab alio quàm ab ipso Christo, nec post jam pridem fun-
datam

datam & firmatam Ecclesiam condi possunt, non magis quàm sacramenta; hinc liquidò constat, ad articulos fidei condendos nullum à Christo relictū esse vicarium. Quippe, vti diximus, nulli, ex quo Christus adscendit, condi potuerunt aut debuerunt, & ne nunc quidem possunt aut debent. Hanc itaque muneris sui partem præcipuam Seruator nemini mortalium credidit aut commisit, nempe vt hominibus quisquam dogmata vel media ad salutem necessaria præscriberet, præter quàm quæ ipse præscripsisset. Et dum potestatem articulos condendi vsurpat Pontifex, id quod eum facere supra ostendimus, posset pari aut potiore etiam jure vsurpare potestatem instituendi sacramenta; aut si hanc non potest, nec illam potest.

XXIV. Dices, etiam si minimè potuerit relinqui à Seruatore vicarius cum potestate condendi dogmata & media ad salutem necessaria; potuit tamen relinqui vicarius cum auctoritate ea promulgandi & hominibus proponendi. Respondeo, Promulgantur vel quum hominibus patefiunt & proponuntur primùm simpliciter; vel quum pridem patefacta proponuntur his aut illis, quibus antea non innotuerant, licet aliis essent cognita. Et verum quidem est, Deum sæpe ministerio hominum vsum fuisse, quò ad priorem etiam promulgationis modum; & hunc ab ipso quoque Seruatore nostro, quum in carne adsumtâ visibile ministerium obiret, & noui testamenti Ecclesiam fundaret, præstitum siue exercitum fuisse. Inde enim epistola ad Hebræos: *Multis vicibus multisq; modis Deus olim loquutus Patribus per Prophetas, vltimis diebus hisce loquutus est nobis per Filium.* Verum enim uerò, si quidquid ad salutem nobis est necessarium à Filio Dei sufficienter patefactum tum fuit, vt certè



fuit; non potuit post illum esse aut constitui alius quispiam, per quem promulgatio prioris modi obiretur, ut antè diximus & demonstrauimus. Relinquitur igitur solum promulgatio posterioris modi, quæ non vni sed omnibus Apostolis commissa est à Seruatore cælos repetituro, quum dixit, *Docete omnes gentes obseruare omnia, quæ præcepi vobis.*

XXV. Neuter verò modus ad officia capiti propria pertinet, neque aliud quàm ministerium docendi includit. Quatenus igitur ipse Seruator in adsumtâ carne ministerio docendi (vnde *minister circumcisionis* dicitur Rom. xv, 8; id est, inter circumcisos Iudæos docuisse) functus est, eatenus vicarios reliquit, non vnum sed multos, & quidem non nisi quò ad modum promulgandi siue docendi posteriorem. Quod autem attinet potestatem constituendi, quæ ad salutem creditu vel factu necessaria esse debeant, eam quidem capiti conuenire, sed nulli mortali communicatam esse, atque adeo hujus ratione neminem mortalem caput Ecclesiæ dici posse certum est.

XXVI. Instabis: esto, potestas constituendi de mediis consequendæ salutis siue de creditis & factis ad salutem necessariis nemini sit communicata, neque locum habeat amplius promulgatio prioris modi sed tantum posterioris; superest tamen, ut quando dogmata & media ad salutem necessaria hoc ipso posteriore modo promulgantur, siue hominibus docendo proponuntur, auctoritate aliquâ & testimonio comprobentur, per quod persuadeantur, quin certi reddantur homines, doceri illa ipsa, quæ Deus reuelauerit, Seruator promulgauerit, & ad salutem necessaria constituerit; neque pro veris & genuinis falsa, erronea & aliena obtrudi.

trudi. Nullo enim argumento aliunde petito reuelati-
ones probari posse, nec umquam defuisse, qui vel erro-
res admiscerent, vel fidei fundamenta conuellerent.
Hanc itaque testandi auctoritatem primario in Pontifi-
ce residere, & ab eâ ipsum Ecclesiæ caput visibile dici,
quod sensibilibus de rebus fidei & articulis religionis in-
fallibile testimonium ferat.

XXVII. Respondeo, testimonium cuius virtute
de rebus fidei animi hominum certi redduntur, vel in-
ternum est Sancti spiritus, qui per suum verbum, ip-
samque Scripturam efficax, animis humanis veritatem
eius persuadet, vt certâ & immotâ fide adsentiantur:
vel est externum, per quod tamen animi non tam con-
uincuntur, quàm inducuntur. Auctoritas autem huius
testimonij dependet ab auctoritate ferentium, incur-
rente quasi in sensu, vt contra eam niti non sit hominis
prudens. Quod enim à plurimis viris grauibus fideq;
dignis, & rei, de quâ agitur, gnaris confirmatur, quamuis
humanum tantum sit testimonium, non tamen ab ho-
mine moderato & prudente rejicitur. Nunc autem et-
iam si illi etiam, qui sunt extra Ecclesiam, de rebus Ec-
clesiæ possint testificari; luculentissima tamen & firmis-
sima testimonij dictio penes ipsam fuerit Ecclesiam, &
penes Ecclesiæ Doctores, quippe qui res, de quibus
quæritur, habeant cognitissimas, & ex professo de illis
tractent. Nusquam verò deprehendetur auctoritatem
illam testificandi vlllo peculiari modo Pontifici & Ro-
manæ sedi affixam esse, sed sicut tota Ecclesia res fidei
cognitas habet, ita quoque totius est Ecclesiæ, & omni-
um Ecclesiæ Doctorum de rebus fidei ferre testimoni-
um. Vincentius igitur Lerinensis in præclaro aduersus
prophanas hæreseon nouitates opusculo nusquam ad

Romani episcopi infallibilitatem vel testimonium pro-
 uocat, quod utique fecisset, si eo tantopere ad repri-
 mendas hæreses opus esse censuisset, atque hodie aſſon-
 tificiis vulgò fit; sed ad testimonium totius Ecclesiæ re-
 mittit. *Id teneamus, inquit, quod ubiq; quod semper, quod ab*
omnibus creditum est: hoc est etenim verè proprièq; catholi-
cum. Sed hoc ita demum fit, si sequamur Vniuersitatem, Anti-
quitatem, Consensionem. Sequemur autem Vniuersitatem hoc
modo, si hanc vnã fidem veram esse fateamur, quam tota per
orbem terrarum confitetur Ecclesia. Antiquitatem verò ita, si
ab his nullatenus sensibus recedamus, quos sanctos maiores ac pa-
tres nostros celebrasse manifestum est. Consensionem quoq; iti-
dem, si in ipsã vetustate omnium vel certè penè omnium sacer-
dotum pariter & magistrorum definitiones sententiasq; sectemur.
 In hisce sanè non vni Romano episcopo, sed toti Eccle-
 siæ omnibusque eius doctoribus testificandi tribuit au-
 ctoritatem, sicut etiam sub finem libelli Romanorum
 episcoporum Cælestini & Sixti testimonia non aliter al-
 legat, quàm Cyrilli & cæterorum Ecclesiæ doctorum.

XXIIX. Et quid efficiat, si rem accuratiùs exami-
 namus, vnius Romani auctoritas & testimonium? Aut
 enim res fuerit cum homine, qui primùm ad religio-
 nem Christianam conuertatur; aut qui pridem sit con-
 uersus, Christumque jam profiteatur. Si cum conuer-
 tendo agatur, & is rerum humanarum statusque mun-
 dani sit peritus, peti poterit argumentum ab Ecclesiæ
 auctoritate, siue antiquitate, amplitudine, eminentiã.
 Obseruandum enim est, Ecclesiæ auctoritatem dupli-
 cem esse, vnã quasi sensibilem & externam, quatenus
 ipsa videlicet hodie est multitudo & congregatio am-
 plissima & nobilissima, complexa florem generis huma-
 ni. nam quod in eo eruditum est, & animos habet disci-
 plinis

plinis imbutos, & proinde de rebus ac religione judi-
candi & vera à falsis discernendi solertiâ pollentes, id
totum intra catholicæ ecclesiæ pomoeria continetur:
quod extra eam deprehenditur, ferè rude & barbarum
est, cujus iudicium nemo prudens magni fecerit. Sub
initia nascentis ecclesiæ aliter sese res habebat. *Non e-*
rant enim in eâ multi sapientes, non multi potentes, non multi
nobiles, 1 Cor. 1, 16. Cæterum auctoritas ista, quam di-
ximus, non nisi humana est, nec fidem parit nisi huma-
nam, magis apta suadere & inducere, quàm conuincere.
Et quum primæ ecclesiæ deesset, locum eius supple-
bant miracula. Deus enim semper præstò esse voluit,
quo homines comiter ad agnoscendam & amplecten-
dam veritatem induci possent. Quanta tamen & qualis
sit ista auctoritas, non capitur nisi ab hominibus rerum
humanarum peritis, & status mundani gnaris, atque a-
deo comparationem inter populos, qui intra & extra
ecclesiam sunt, instituere doctos.

XXIX. Alia est auctoritas Ecclesiæ propria, sed
nemini infidelium cognita vel credita, quam liceat in-
sensibilem vel internam appellare. Hæc enim ipsa Ec-
clesiæ competit per peculiarem gratiam, directionem &
adistentiam principis sui capitique Christi, & Spiritus
sancti, per quam fit, vt vniuersa in rebus ad salutem ne-
cessariis errare nequeat. Et hætenus catholica siue v-
niuersalis ecclesia infallibilis, atq; adeo *columna & firma-*
mentum veritatis est, quod elogium ei tribuit Apostolus
1 Tim. 111, 15. Particulari ecclesiæ id ipsum competit,
non absolutè & simpliciter, sed quò vsque catholicæ vi-
uum & verum membrum esse perseuerat. Sicut autem
particularis ecclesia potest deficere, ita quoq; elogium
hoc amittere. Inde dixit Tostatus, (quod obiter anno-
tetur)

Præf. in
Matth.
quæst. 13
ad prol. 2.
In Matth.
quæst. 4.

tetur) soli ecclesie vniuersali conuenire; quæ numquam, inquit, errat, quia numquam tota errat. Et alibi: Ecclesia Latinorum non est ecclesia vniuersalis, sed quedam pars eius: ideo etiamsi tota ipsa errasset, non errabat ecclesia vniuersalis, quia manet ecclesia vniuersalis in partibus illis, quæ non errant, siue illæ sint plures numero quàm errantes, siue non.

XXX. Esse verò Ecclesiam hoc, quem diximus, modo ab erroribus immunem, non constat nisi ex promissionibus Christi, quas Scriptura proponit. Iohan. xiv, 16: Ego rogabo Patrem, & alium paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum: nempe Spiritum illum veritatis, quem mundus non potest recipere. Matth. xxix, 20: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usq; ad consummationem seculi. xvi, 18: Super hanc petram ædificabo ecclesiam meam: & porta inferorum non superabunt eam. Non itaque pessumdabunt persecutiones, non inundabunt flagitia, non oppriment hæreses vel errores, qui fundamentum salutis subruant.

XXXI. Quoniam igitur hæ promissiones, & his innixæ infallibilitas & auctoritas per Scripturam innotescunt, manifestum est infidelem, & qui Scripturam non agnoscat vel admittat, hac ipsâ auctoritate ad Scripturam vel religionem amplectendam commoueri non posse. Res adeo est perspicua, vt coegerit Franciscum Suarez reprehendere illos, qui docent, quòd fides nostra resoluat in auctoritatem ecclesie. nam si id intelligant, inquit, de illâ auctoritate, vt humana est, omnino falsum dicunt — quia illa non est fundamentum fidei. Si verò loquantur de auctoritate ecclesie, vt regitur à Spiritu sancto, sic non sufficit illam credere vel illi credere fide acquisitâ, sed necessarium est credere fide infusâ, quæ resoluenda est in illud principium, Quod DEVS dixit & promisit adfistentiam Spiritus sancti suæ ecclesie: & ita necesse est tan-

Traet. de
Fide, disp.
1, sect. 12.

est tandem recurrere ad doctrinam traditam, imò ad Scripturam. Auctoritas itaque quam humanâ maiorem Ecclesia obtinet, in ordine ad nostram cognitionem ab auctoritate Scripturæ pendet; non hæc ab illâ.

XXXII. Interim qui alteram cognoscere & æstimare potuerit, ei fuerit non modò occasio credendi, sed etiam motiuum, quo ad credendum inuitetur & inducatur. E quo tamen proximè & propriè non nisi fides humana & acquisita oritur, vt expositum fuit. At vnus Pontificis auctoritas ne quidem ad inducendum valebit. Nam Pontifex aut notus homini de cuius conuersione agitur, vt fortè Turcæ vel Iudæo cuiuspiam inter nos agentis; aut ignotus, vt Americano vel Indo. Etiam si cognoscatur non modò vt Episcopus, verùm etiam vt herus & possessor vrbis,

Quæ septem vna sibi muro circum dedit arces;
non tamen ea propter vel Turca vel Iudæus credet, vera esse quibuscumque testimonium ille perhibuerit. Dicit ipsum quoque hominem esse, qui possit falli & fallere, & fortè sui commodi ergo fallat. Si neque Rabbini neque Soldano vel Mufti de religione credendum, non apparere, cur Pontificis nudæ assertioni fides debeat haberi. Sin ignotus conuertendo fuerit Pontifex, multò minùs locum aliquem merebitur eius testificatio. Vnde enim Indo vel Iapanensi innotescet quid asserat Pontifex, nisi ex relatu fallibili? Quin quod maius est, vnde constabit Pontificis testimonium falsitatis & fraudis esse expers? Etiam si verò infallibilitas ista ex Scripturis demonstrari posset, vt potest minimè, apud conuertendum tamen & Scripturas Noui præsertim testamenti nondum amplexum, eiusmodi quid conari, nihil fuerit aliud, quam principium petere, vel ignota igno-

D

tis



tis probare. Non igitur efficere potest testimonium Pontificis, vt doctrinam Christianam recipiat, qui alias eam in dubium vocet aut improbet, vt ut norit quantus hodie sit fastus, splendor, opulentia & potentia Romanæ sedis: multò verò minùs si non norit. Et quo successu conuertendis gentilibus proponatur auctoritas Romani Pontificis, declarat viuum exemplum Regis Peruani Attabalibæ, narratum Hieronymo Benzoni Mediolanensi, libro tertio historiae noui orbis, cap. III. Quale Euangelium prædicent, quibusque mediis persuadeant & propagent noui Apostoli Pontificij, luculenter vna ista narratio ostendit.

XXXIII. Cæterùm quod conuertendo cuiquam de Pontifice aliquid innotuerit, id totum per accidens est. Quin imò non minùs per accidens est, si capere possit argumentum ab Ecclesiæ auctoritate sensibili siue externâ ductum; & si adsequatur quanta hodie Ecclesiæ antiquitas, amplitudo, atque adeo externa etiam præ Iudæis, Muhammedanis & idololatriis sit excellentia. Esse Pontificem Romæ qui multum sibi arroget, Europæis plerisque constat, & fortè paucis aliis. De posteriore non nisi viris doctis rerumque humanarum & status orbis terrarum & historiae gnaris. Absurdum verò fuerit, cum doctrinâ euangelicâ per se & perpetuò non cohærere, quod ad fidem faciendam satis sit; sed si doceatur in Aethiopiâ vel Indiâ, petendum esse Româ, quo ei auctoritas & fides concilietur. Aut si proponatur homini rudi & imperito, priùs notitiâ rerum humanarum & vniuersæ gentium historiae imbuendum ipsum, quàm sperari debeat ad sensus. Absurdus autem hoc fuerit, tanto labore cognitionem auctoritatis siue Ecclesiæ siue Pontificis acquiri debere; & neutram tamen rem, de
quâ

quâ agitur, euincere posse. Euangelium igitur ab Ec-
 clesie capite Iesu Christo & ab auctore suo Spiritu san-
 cto eam trahit virtutem & efficaciam sibi semper & per-
 petuo innexam, siue audiat ciuis, siue peregrinus, vel
 qui prope, vel qui procul, siue rudis, siue eruditus, vt a-
 nimum eius inenarrabili quadam vi subeat, percellat, af-
 ficiat, sibi que deuinciat, atque adeo vt potens sit sibi fi-
 dem efficere & credenti salutem. Eam vim, quam alias
 diuinam gratiam, Spiritus sancti opem, virtutem, & tēp-
 rari & testimonium, aut etiam supernaturale lumen ap-
 pellamus, Deus suo verbo adjunxit, & quasi indidit.
 nam quia cum eo arctè adeo cohæret, vt ab eo num-
 quam penitus absit, imò sine eo numquam adsit, ideo
 ipsius quoque verbi esse, siue ipsi verbo inesse dicitur.
 Quum enim Deus in suo illo verbo inuidenter nobis
 loquatur; nisi ipse cum illo verbo siue per illud verbum
 se nobis loqui persuaferit, quis alius aut quibus rationi-
 bus id efficaciter & irrefragabiliter euincet?

XXXIV. Adijcio dictum Chrysoctomi ex homi-
 lia in Natalem Domini, faciens ad rem præsentem. *Præ- Tomo 1
 conium verbi, vniuersum orbem, vbi quidem homines habitant, Saul. or. 72,
 paucis annis occupauit, etiamsi tabernaculorum opifices, piscato-
 res, literarum ignari, & idiota vbiq; gentium illud diuulgent,
 Nihil autem detrimenti vilitas ministrorum attulit, quum præ-
 dicati verbi vis omnia præoccupet, & impedimenta amoueat, &
 proprias vires demonstrat. Præclare etiam Origines: Si 4 πει
 quis cum omni studio & reuerentiâ, quâ dignum est, prophetica ἀρχὴν
 dicta consideret, eo ipso dum legit & diligentius intuetur, cer- cap. 1.
 tum est quòd aliquo diuiniore spiramine mentem sensumq; pulsa-
 tus agnoscet non humanitus esse prolatos eos, quos legit, sed Dei
 esse sermones; & ex semetipso sentiet non humanâ arte, nec mor-
 tali eloquio, sed diuino (vt ita dixerim) cothurno libros esse con-
 scriptos.*



scriptos. Saluianus tertio libro de Prouidentiâ: Alia omnia, id est, humana dicta argumentis ac testibus egent: Dei autem sermo ipse sibi testis est. Nec Nemefius incommodè libro de naturâ hominis, cap. 11: ἡ πῶν θεῶν λόγων διδασκαλία τὸ πιστὸν ἀφ' ἑαυτῆς ἔχει, ἀλλὰ τὸ θεόπνευστον εἶναι. Huc etiam faciunt, quæ scribit Gregorius libro XXIIX Moralium, cap. XI II. Quilibet prædicator verba dare auribus potest, corda verò aperire non potest: & nisi per internam gratiam solus omnipotens Deus prædicantium verbis ad corda audientium aditum præstet, incassum prædicatio aure audientis percipitur, quæ peruenire ad intima corde surdo prohibetur. Augustinus concione de gestis cum Emerito: Nos aurem forinsecus percutimus, Deus nouit intrinsecus loqui.

1 Theff. 2. XXXV. Hinc itaque fuit, quòd Thessalonicenses λόγον ἀκοῆς τῷ Θεῷ excepere non sicut verbum hominum, sed (ut erat verè) sicut Dei verbum, qui etiam agit, ait sanctus Paulus eos compellans, in vobis qui creditis. Hinc fuit, quòd populus percelleretur super doctrinâ Seruatoris: docebat enim eos, ait Euangelista Matthæus, ut habens auctoritatem, non autem ut Scriba. Nempe quum Scribarum homiliæ frigidæ & elumbes essent, nec auditores afficerent, contra Christi fermones viuidi erant & validi, animosque hominum ad præbendum ad sensum potenter commouebant. Hæc est ἀπόδειξις δυνάμεως καὶ πνεύματος, in quâ, & non in persuasoriis humanae sapientiae verbis præconium suum versatum fuisse docet Apostolus. Atque hinc Iohannes 1 epist. v. 6: Spiritus est, qui testificatur spiritum, id est, doctrinam Spiritus, siue quam ministerium spiritus, uti vocatur 11 Cor. 111, 8, proponit & tradit, veritatem esse. Et paullo inferius versu 10: Qui credit in Filium Dei, habet testimonium Dei (eam voculam addit Vulgata versio) in seipso. Hanc diuinam Sancti spiritus in animis credentium

tium operationem vocat vñtionem, cap. 11, 27. *Vñtio*, inquit, *docet vos de omnibus*, nempe quæ vobis ad salutem necessaria. Ad hæc verba Augustinus: *Sonus verborum nostrorum aures percutit, magister intus est.* — *Magisteria forinsecus, adiutoria quædam sunt & admonitiones. Cathedram in cælo habet qui corda docet.*

XXXVI. Quum prophetaret Ieremias, & populo captiuitatem, vrbi excidium prædiceret, pseudopropheta contraria promittebant. Quid ad hæc ipse Dominus? *Prophetapenes quem somnium est, enarret somnium; Ier. 23, 28.* & *penes quem est verbum meum, eloquatur verbum meum verè.* Quid *palea cum tritico?* ait Dominus. *Annon ita verbum meum est vt ignis?* dicit Dominus; & *sicut malleus conterens petras?* Hisce virtus & efficacia diuini verbi indicatur & describitur. nam, vt bene loquitur Albertus Magnus, *in Iohan. c. 4, v. 42.* *Verbum exiens ab ore verbi increati cum virtute sonat.* Alberto junge Thomam, qui Secundâ secundæ, quæst. 11, art. ix ad tertium ita scribit: *Ille qui credit, habet sufficiens inductiuum ad credendū. Inducitur enim auctoritate diuinæ doctrinæ miraculis confirmatæ; & quod plus est, interiore instinctu Dei inuitantis.* Repetiit Dionysius Carthusianus Summâ fidei orthodoxæ, libro 11, art. xi.

XXXVII. Addemus quædam testimonia Doctorum Pontificiorum recentiorum. Melchior Canus de Locis Theologicis libro 11, cap. 119: *Externe omnes & humana persuasiones non sunt satis ad credendum, quantumcumq; ab hominibus competenter ea, quæ sunt fidei, proponantur. Sed necessaria est insuper caussa interior, hoc est, diuinum quoddam lumen incitans ad credendum, & oculi quidam interni, Dei beneficio ad credendum dati.* Rursus: *Articulo, Deus est trinus; & huic, Ecclesia non potest errare, & cæteris vniuersis doctrinæ Christianæ principiis adsentior per infusam fidem, non quòd Io-*

hannes dixerit, aut quivis alius homo, sed quod Deus revelaverit: huic autem, Deus revelavit, immediate credo à Deo motus per instinctum specialem. Cardinalis Hosius Confessione fidei, scriptâ synodi Petricouiensis nomine: Nos libenter concedimus, accipienda esse Evangelia, ut verba Dei intus docentis & revelantis, neq; credendum illis esse, nisi propter Dei vocem intus loquentis. Cardinalis Toletus in caput quintum Evangelij Iohannis: Habet quidem fides probationes pro his, qui nondum credunt: tamen neq; hæc necessariae sunt, sicut demonstrationes scientiarum; nec qui credunt, propter eas credunt, sed propter lumen fidei à Deo infusum, intellectum inclinante ad ad-sensum. Alfonso Salmero tomo IIX, tractatu III: Ante omnia statuendum est, Deum suâ omnipotenti virtute, fidei lucernam in cordibus hominum accendisse, & per illam homines illuminasse, lumenq; illud fidei fortissimè servasse, ut nihil in illud potuerint aut demones, aut mundus, aut caro, aut heretici, sed invictum & vivum permansisse, imò per disceptationes, & tentationes, mirabili providentiâ immixtas aut permissas, auctum & locupletatum: de quo testatur dilectus discipulus: Qui credit in Filium Dei, habet testimonium Dei in se: nimirum testificans de veritate dogmatum fidei, & quod à Deo profecta sunt. — Huic igitur divinae virtuti intus secretè operanti, fides Christiana religionis omnino adscribenda est potissimum. Franciscus Suarez Tractatu de Fide, disp. III. sectione XII: In actu exercito dum Deus aliquid dicit, quasi per intrinsecam reflexionem eiusdem actus in seipsum, dicit se dicere. — Hoc ergo modo divinum verbum & rem dictam & seipsum dicit; & hac ratione per fidem infusam creditur, non per resolutionem in aliud verbum, sed per seipsum.

XXXIX. Ita, ut existimo, & vel ex Pontificiorum doctorum testimoniis abundè liquet, quum de hominibus ad fidem Christianam convertendis siue adducendis

tendis agitur, veram & genuinam vim animos commo-
uendi & ad ad sensum pertrahendi nec Ecclesiae nec Pon-
tifici imputandam esse, sed ipsi diuino verbo, siue diui-
nae gratiae cum verbo conjunctae, & per illud operanti.
Quod etiam euincunt exempla eorum, qui per solam &
meram siue Scripturae lectionem siue euangelij auditum
ac meditationem ad fidem fuere adducti, quum interim
ad Ecclesiae auctoritatem siue eminentiam non respice-
rent. Parco illa hic adducere: apponam tamen, quae de
conuersione Iapanensium ad Michaëlem Turrianum
Iesuitam scribit ex eadem societate Iohannes Baptista
Montius, Bungo, v Id. Octob. anno clō Iō LXIV. *Quod ad*
conuersionem, inquit, harum gentium attinet, euangelium lon-
gè late q̄ iam peruagatum est, & sanè probatur in vulgus, & fere
semper ad baptismum Dei beneficio aliqui perducuntur. Ratio au-
tem nostra cum illis agendi est eiusmodi. Queritur primum
quam sectam sequantur. Deinde non modò quam ipsi profitentur,
sed etiam reliquæ omnes Iaponicae sectæ multis rationibus ita con-
futantur, ut earum ope ac presidio aternâ salute se nequaquam
potiri intelligant. Id ubi perceperunt, docentur esse unum rerum
omnium opificem, qui ex nihilo cuncta creauerit, eaq̄ omnia fun-
gi officio præter Angelos desertores, & hominem, qui è primo illo
statu suâ culpâ exciderit, in quo ab Deo parente positus fuerat;
idemq̄ naturæ legibus, rectè q̄ rationi aduersetur. Discunt dein-
ceps Deum esse trinum & unum, cuius imperium homo neglexe-
rit. Et quoniam infinita maiestati ac numini facta iniuria infini-
tam quoq̄ satisfactionem exigeret, secundam Trinitatis perso-
nam, quum genus humanum, aliaue omnino creata natura soluen-
do non esset, humanitatem nostram vltro adsumsisse & induisse,
ut idem homo simul & Deus innocentissimus pœnam nostris scele-
ribus debitam pretioso sanguine suo acerbaq̄ morte persolueret, &
nos in omnipotentis Dei gratiam restitueret. Hæc illis omnia
clare

Lib. 4 epist
Iaponica-
rum.

clare & copiose explicantur. Tum ad eorum quæstiones probè re-
spondetur, & omnis ex eorum animis, quoad eius fieri potest, du-
bitatio tollitur, atq; ut illis certæ precandi formulæ & præcepta
decalogi tradita sunt, promittunt se barbaros ritus, superstitionesq;
deposituros. Deniq; sacri baptismi vis, atq; mysteria iisdem
explicantur: atq; ita Christo dant nomina ac baptizantur.

XXXIX. Audiuius qualis processus ad con-
uertendos infideles Iapane obseruatus: nec audiuius
inculcari eminentiam vel Ecclesiæ vel Pontificis, ut per
eam illi commouerentur. Dices fortè, Sed neque de
Scripturâ productâ quidquam audiuius. Respon-
deo, Verbum diuinum tripliciter proponi posse, vel ita
ut sit diuinum quâ sensum, siue quâ rem quæ docetur;
vel non solùm quâ sensum, sed etiam quâ voces; vel de-
nique & quâ sensum, & quâ voces, & quâ idioma. Pri-
mo modo proponitur, si doctrina euangelica quibus-
cumque doctori obuiis & captui auditorum congruis
vocibus exprimitur. Secundo modo habetur in ver-
sionibus Scripturæ, si videlicet sententiæ totidem ver-
bis ex aliquâ fidâ versione proferantur. Tertio modo
in fontibus Hebræis & Græcis reperitur. Est verò diui-
num verbum, siue primo, siue secundo, siue tertio mo-
do proponatur; & iuncta est vbiq; gratia & *ἀνεργεια*
Spiritus sancti, per quam qui audiunt, nisi negligentiam
vel contumaciam obijciant, ad præbendum ad sensum
inducantur. Et quum fides secundum se non sit discursi-
ua, sed simpliciter apprehensiuâ, fieri bene potest, ut
euangelium primo modo propositum homini, præser-
tim rudiori, satisfaciat. Discursum verò instituere ad
Theologiam spectat. Eum igitur institui & probatio-
nes adduci si auditorum ratio vel alia necessitas exigat,
ad verbum diuinum secundo & tertio modo se habens
adscen-

scenditur. Quod si autem primo modo propositum est virtute pollet, ut sibi fidem faciat, animumque conuincat; itidem pollebit secundo vel tertio modo propositum. Interim si opus sit, & capax fuerit qui cum agitur, argumentorum inducentium, inter quæ haut vltimum est, quod ab Ecclesiæ, minimè verò Pontificis, externâ auctoritate petitur, vsus esse poterit.

XL. Sed de conuertendo siue illo, qui fidelis nondum est, est verò in viâ, siue, ut dici solet, in fieri, satis. Videamus porrò num propter hominem conuersum & fidelem requiratur in Ecclesiâ auctoritas testificandi de dogmatibus infallibiliter, in vno tamquam capite residens, adeoque vni Romanæ vrbis episcopo diuinitus attributa. Propter fidelem autem requiri poterit eiusmodi auctoritas, ut is in fide perseueret. Cæterum si, quemadmodum ostendimus, conuertendo ad concipiendam fidem nullâ opus est auctoritate Pontificis, neque conuerso opus fuerit ad retinendam, sed sicut ipsum Dei verbum auditum & meditatam suâ virtute effecit, ut sibi fides haberetur, ita quoque porrò efficiet, ut fides semel habita retineatur. Neque magis opus erit Româ tibicines arcessere fulciendæ fidei, quàm opus fuit petere fundamenta ædificandæ. Et si propriè, proximè & per se fides quò ad sui generationem non pendet nisi ab ipsâ verbi diuini virtute; nec quò ad sui conseruationem aliunde pendeat. Quibus ergo auctoritas Pontificis Romani remouetur à fide quatenus concipitur, iisdem ferè, & fortè validiùs (si quidem non habent eo in casu ampliùs locum inductiuam) remouebitur à fide, quatenus concepta iam tenetur & seruatur.

XL I. Dices, solent de dogmatibus & sacramentis oriri controuersia, ut in Ecclesiâ ipsi fideles in diuer-

E

fas

fas abeant opiniones, alius sic sentiat, alius aliter. Hic opus erit aliquo, qui eiusmodi controuersias dijudicet, & latâ infallibili sententiâ dirimat. Absque eo enim incertierunt fideles, quid statuendum sit & credendum. Hinc itaque summa necessitas iudicis siue capitis, quod in Ecclesiâ sit, tum visibile vt possit adiri, audire & audiri, viuaque voce & distinctè secundum alterutrum dissentientium pronunciare; tum infallibile, ne post latam sententiam dubitandi vel dissentiendi occasio relinquatur.

XLII. Respondeo, argumentum est tale. Mouentur in Ecclesiâ de dogmatibus & sacramentis quæstiones, & oriuntur controuersiæ. Ergo opus est visibili monarcha qui iudicet & dirimat. Misso antecedente, de quo posteriùs agemus, consequentiæ necessitas nulla est. Cur enim magis opus monarcha, quàm optimatibus iudicibus? præsertim quum controuersiæ à pluribus rectiùs quàm ab vno examinentur. Hæc ergo semper sententia fuit vniuersæ antiquitatis totiusque Ecclesiæ, quæ non ab vno aliquo, sed ab optimatibus Ecclesiæ in concilio congregatis certamina Ecclesiastica dijudicari voluit & dirimi. Quòd si autem vnus Pontifex dijudicandis sufficit, & ipse quidem absque concilio, concilium verò absque ipso minimè, quemadmodum docetur hodie, concilium, nisi sequatur instructionem Pontificis, errori obnoxium esse, at Pontificem non esse, etiamsi absque ope concilij sententiam ferat; si, inquam, ista ita se habent, cur jam inde ab incunabulis Ecclesiæ coacta sunt tantis laboribus & sumtibus concilia, cur se fatigarunt Ecclesiæ doctores & episcopi, & non potiùs totam rem vnus Romani arbitrio commiserunt, præsertim quum illi absque hoc frustra
fata-

fatagant, hīc sine illis omnem rem acu tangat, & infalli-
bili iudicio determinet? nempe antiqua adeo est de
auctoritate optimatum & concilij, adeo verò recens de
infallibilitate Pontificis sententia, vt etiam concilium
Constantiense definierit, *quòd synodus in Spiritu sancto con-* Sess. 4.
gregata legitime, Ecclesiam catholicā militātem representans,
potestatem à Christo immediatè habeat, cui quilibet cuiuscumq;
status vel dignitatis, etiamsi papalis existat, obedire teneatur in
his, quæ pertinent ad exstirpationem schismatis, & reformatio-
nem generalem Ecclesie Dei in capite & membris. Hæc ibi.

XLII. Deinde non omnes, quæ de dogmatibus
& sacramentis moueri possunt quæstiones & contro-
uersiæ, eiusmodi sunt, vt eas decidi necesse sit, aut et-
iam vt decidi possint. Ad antecedens itaque confide-
randum nunc nos conuertamus. Verum quidem est in
Ecclesiâ quæstiones excitari, certamina moueri. In du-
plici tamen sunt differentiâ, quæ in controuersiam ve-
niunt. Aut enim immediatè & proximè de ipsis fidei arti-
culis propriè & in rigore ita dictis, atque adeo de salutis
fundamenti controuertitur; aut de rebus & quæstio-
nibus aliis, quæ licet non nisi ex reuelatis deducantur,
ipsa tamen fidei & salutis fundamenta non sunt. Accu-
ratiùs enim omnia consideranti & excutienti varia so-
lent occurrere dubia: solent circa modos explicandi,
quum licet rem teneant, non tamen semper omnes eo-
dem modo efferant aut explicent, oriri quæstiones. Ta-
lia verò, quia sine detrimento salutis ignorari & plerum-
que non nisi à paucissimis, vtpote eruditis, capi & intelli-
gi possunt, ipsissima profectò salutis fundamenta, nem-
pe absque quibus cognitis nemo salutem queat obti-
nere, non sunt. Controuertentes igitur in duplici quo-
que sunt differentiâ. Aut enim hoc ipso dum contro-

uertere incipiunt, & à cæteris fidelibus dissentire, veri fideles esse desinunt, & Christianorum titulum reapse amittunt, solâ vsurpatione & consuetudine ejus competes; aut non obstante controuersia illâ & dissensione suâ, vt fundamentum salutis saluum conseruant, ita fidelium numero minimè excidunt. Consideramus autem hoc loco doctrinas & errores, quatenus ad intellectum pertinent: & quatenus illæ solius intellectus perfectiones, isti vitia sunt. Nam si, non quia rectius non intelligas, sed quia nolis videri errasse, nolis cuiquam cedere, atque adeo Ecclesiam turbis inuolui malis, quàm tuæ existimationi quidquam detrahi, non is amplius error intellectus est, sed prauitas voluntatis, & peccatum morale. Qui itaque in controuersia quapiam posterioris generis contra conscientiam suam errorem vtut aliàs minimè capitalem sequitur aut defendit, & Ecclesiam turbare pergit, is gratiâ Dei numeroque verè fidelium excidit, non quidem ob errorem, vt error est in intellectu, sed vt à voluntate comprobatur, atq; adeo propter peccatum voluntarium & contra conscientiam. Si posterius hoc, quod totum à voluntate est, absit, eiusmodi error, quatenus intellectum afficit, salutis non potest officere.

XLIII. Hisce expositis res faciliùs expedietur. Dogmata fundamentalia à fidelibus, si fideles maneat, in dubium vocari vel impugnari nequeunt. Qui impugnare vel negare incipit, ille hoc ipso fidelis & verus Christianus esse desinit. Implicat enim Christianum esse, & Christianismi fundamentum amittere, vel euertere. Quod si quis fecerit, nemo fidelis dubitare aut ignorare potest, quin pessimè & cum jacturâ salutis faciat, nec eiusmodi doctori aut doctrinæ suffragandum esse,

esse, sed multò maximè contradicendum. Exorto igitur hæretico quocumque fundamentales articulos negante vel oppugnante, non eget homo fidelis indice vel iudice, cuius operâ & beneficio primùm discat hæreticum illum errare. Nam posito quòd pridem fidelis sit, necesse est ipsum articulos fundamentales non modò cognitos habere, sed fide diuinâ & immotâ iis adfentiri. Implicat enim fidelem esse, & de fundamentis fidei incertum esse. Etiam si igitur, vt rectissimè scribit Melchior Canus, *omnes hi qui me docuerunt, imò adeò angeli cælorum mihi adstruerent oppositum eius, quod fide teneo, non ex eo fides mea labefactaretur, iuxta Pauli Apostoli præscriptum illud, Licet nos aut angelus de cælo euangelizet vobis &c. Gal. I, 8.*

Lib. 2 de
Lo
cis Theol.
cap. 8.

XLIV. Plurimum rem, aliàs minimè obscuram confirmant verba Sancti Iohannis Apostoli, quorum superiùs quoque facta mentio, de prauis doctoribus siue seductoribus agentis, & quoscumque fideles alloquentis 1 epist. II, 20: *Vos vnctionem, gratiam videlicet Sancti Spiritus, quæ dura emollit, tenebras pellit, lucem veritatis adfert, & in eâ confortat, habetis à sancto illo sanctorum (Dan. IX, 24) Christo Domino profectam, & nostris omnia, nempe ad salutem necessaria. Et versu 24: Quod audiistis à principio, in vobis maneat. Rursus v. 26: Hæc scripsi vobis de ijs, qui seducunt vos: sed vnctio, quam vos accepistis ab eo, Christo Domino, manet in vobis, nec necesse habetis, vt quisquam doceat vos, fundamenta scilicet fidei & salutis, quum fideles pridem sitis. Verùm sicut eadem vnctio docet vos de omnibus, quæ & verax est, & non mendax, ita & sicut docuit vos, manebit in eo. Bene ad hæc verba Cardinalis Cajetanus: Monet Iohannes scientes ea quæ sunt fidei, vt non recedant ab internâ vnctione, vt pote omnino veraci: & sic sentiant de Christo Iesu quò ad intellectum, & sic maneant in ipso*



ad affectum, quemadmodum unctio docuit illos. Et significanter dicit *DOCVIT* in preterito, ne fallantur sub aliquâ specie spiritualis affectus ad assentiendum alicui novitati. vult enim ut sequantur id, quod iam docuit eos unctio, nec novi aliquid admittant sub specie nouæ inspirationis.

XL V. Si exoriatur itaque qui articulos fidei, quæ fundamenta salutis sunt, neget aut euertat, hæresin esse nouit ex se homo fidelis, & quidem hoc ipso, quòd fidelis est, & fide Christianâ catholicaque præditus & imbutus. Quamobrem nullæ hîc partes Pontificis, quasi absque ipsius ope hæreses agnosci, vitari aut damnari nequeant. Quàm primùm diuinitatem Filij Dei negare cœpit Arius, eum veri Christiani abominati sunt, & Alexander Alexandriae episcopus cum suis Aegypti & Lybiae episcopis, re vsque ad œcumenici concilij aut Pontificis sententiam minimè delatâ, anathemate denunciato damnauerunt, vt constat ex historiâ ecclesiasticâ, & ipsius Alexandri epistolâ apud Socratem libro I, cap. III. Rectè enim Gabriel Biel, quamuis infimæ ætatis scriptor, *Sicut, ait, veritates catholicae absq; omni approbatione Ecclesie sunt immutabiles & immutabiliter veræ; ita sunt immutabiliter catholicae reputandæ. Similiter sicut hæreses absq; omni reprobatione & damnatione sunt falsæ; ita absq; omni reprobatione sunt hæreses reputandæ.*

3, dist. 25.
qu. un. art.
3 ad dub. 3.

XL VI. Quid verò si ponamus necessitatem determinationis Pontificiæ, num donec res Romam perferatur, & Româ referatur responsum, tam diu de fundamento salutis suæ incerti erunt Christiani? Quid si Romam à loco, vbi motum certamen, *longa procul longis via diuidat inuia terris?* si vacet sedes, aut schismate vigente, vt sæpius factum fuit, quis verus episcopus sit, ignoretur? De tempore sanè penultimi schismatis, quum post
initium

initium seculi xv tres simul essent Pontifices, dicit Iohannes Gerson Sermone de signis ruinæ ecclesiæ: *Ad tantam ambiguitatem vniuersalis ecclesia deuēnit, quòd ignorauit, apud quam partem vera sedes Romana erat, nisi forsā Deus alicui reuelasset, aut Solomonis iudicium de puero diuidendo & ver. & falsā matre hoc persuaderet.* Quid si Pontifex bellicis curis, quibus profectò magis quàm dogmatum meditatione occupatus fuit dum sedit Iulius II, distineatur? si quod de Paulo II scribit Platina, *die dormientem ac noctu vigilantem attretantemq; gemmas & margaritas, adire sit difficile?* Extorqueatur tandem à Pontifice responsum vel decisio, nonne quod usu venit in similibus, regerere poterunt, quibus sententia displicet, haut legitimè latam, sed vt dici solet, sub & obreptitiè impetratam fuisse? Esto verò, credatur sententia cum causæ cognitione & ex plenâ scientiâ ab ipso Pontifice concepta, nec per fraudes Curialium elicitâ esse; quid tamen Pontifici placuerit, & qualis lata fuerit sententia, nemini procul distito euidenter innotescit, sed tantùm iudicio & testimonio humano, cui potest falsum subesse. Breuiter, si de articulis fidei iudicium admittimus qualia ciuilia sunt, nec aberunt, quæ in his quotidie occurrunt, procrastinationes, frustationes, falsationes, aut saltem earum suspiciones. At vt Ecclesiæ de articulis fidei constet, nec moram patitur, nec dubio aut suspitioni falsi potest esse obnoxium.

XLVII. Manifestum igitur ex his quæ diximus hætenus, visibilem monarcham siue Pontificem Romæ residentem, qui de articulis fidei constituat, hæresesque damnet, nec Ecclesiæ necessarium esse, nec ad rem conficiendam idoneum. Si homo fidelis, quem articulos suæ fidei, & fundamenta salutis ignorare non posse
certum

certum est, nosque supra diximus, aliquam in his, ob certamina mota, confirmatione indiget, præstò est Sacra scriptura, quam quemuis, ipsos etiam è populo, quem tū alloquebatur, scrutari iussit Seruator Ioh. v, 39. Et, ne quis obscuritatè caussetur, videmus, vt rectè docet Gab.

In 3 disp. Vazquez, omnia fidei nostra dogmata, quæ omnibus credenda
179 cap 6. hæcenus proposita fuerunt, non figuratè, nec verbis improprijs, sed apertè & proprijs vocibus tradita fuisse. Præstò sunt doctores Ecclesiæ, quos in procliui audire & consulere.

Cap. 2, v. 7. Inde enim Malachias: *Labia sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex eius ore, quoniam angelus Domini exercituum est.*

Eph. 4, 10 & seqq. Et sanctus Paulus: *Christus ascendens super omnes cælos dedit alios quidem Apostolos, alios verò Prophetas, alios autem Euangelistas, alios autem pastores & doctores: vt ne simus amplius pueri, qui fluctuemus & circumferamur quouis vento doctrine.* Nullæ hîc partes Pontificis, imò ne nominatur quidè caput vllum visibile, quod certè oportuisset, si ad compactionem sanctorum, ad opus ministerij, ad ædificationem corporis Christi, ad unitatem fidei, quibus de rebus eo in loco agit Apostolus, vel necessarium esset, vel saltem aliquid faceret. Huic itaque fini Deus primitus quidem, & sub exordium nascentis Ecclesiæ, dedit Apostolos, Prophetas & Euangelistas, deinceps Pastores & Doctores tamquam ordinarios & perpetuos ministros. Vnum visibile caput constituere, vt commodum non erat, ita neque Christo vero Ecclesiæ capiti visum fuit.

XLIIIX. Si verò in confirmationem fidelium à consensu & antiquitate petitur testimonium, neque hîc Pontifici aliquid peculiare competit, vt ex Vincentio Lerinensi supra demonstrabamus. Consensus quidem præsentis Ecclesiæ per doctores in concilio congregatos potissimum innotescit: atque illi quid Scriptura doceat,

ceat, quid antiquitas senserit tum facilius operis pluri-
um junctis inquirere, tum majore auctoritate exponere
& declarare possunt. Conciliis itaque coactis id præ-
statur, non quidem ut noua condantur dogmata & ar-
ticuli fidei, sed ut fideles in iis, quæ pridem credebant,
confirmentur: hæreseon verò doctores siue auctores re-
darguantur, aut in viam, si potest fieri, reducantur, aut,
si non potest, quemadmodum sæpe non potest, de ipsis
coercendis, quod ad disciplinam pertinet, & fidelibus
ab eorum contagio præseruandis, constituatur. No-
tanda rursus sunt, quæ in suo libello obseruauit & do-
cuit idem, cujus verba antea adduximus, Vincentius
Lerinenfis: *Christi, inquit, Ecclesia, sedula & cauta deposito- Cap. 32.*
rum apud se dogmatum custos, nihil in iis umquam permutat, ni-
hil minuit, nihil addit, non amputat necessaria, non apponit su-
perflua, non amittit sua, non usurpat aliena. Et paullo post:
Quid umquam aliud conciliorum decretis enisa est, nisi ut quod
antea simpliciter credebatur, hoc idem postea diligentius crede-
retur? quod antea lentiùs predicabatur, hoc idem postea instan-
tiùs predicaretur? quod antea securiùs colebatur, hoc idem po-
stea sollicitiùs excoleretur. Certè etiam si à Christianis ante
synodum Nicenam diuinitas Filij firmissimè crederetur,
& ante synodum Constantinopolitanam diuinitas San-
cti spiritus: attamen ex quo post exortas hæreses synodi
symbola vnanimi consensu ediderunt, hinc articuli &
ore fideiù crebriùs sunt usurpati, & scriptis doctorum
frequentiùs, addo etiam distinctiùs & cautiùs, expositi.
Sed de dogmatibus fundamentalibus satis dictum esto.

XLIX. Proximum fuerit, ut videamus de reliquis
quæstionibus & controuersis, quas ab ipso fundamen-
to suprâ distinximus, & circa vel juxta doctrinam fun-
damentalem emergere, eiusque quasi appendices esse

F

dixi-

diximus. Aliæ sanè ipsa fundamenta propiùs attingunt, alia ab iis longiùs absunt. Ita quando agitur de notionibus diuinis, de proprietatibus & relationibus, quomodo & à se inuicem & ab essentiâ distinguantur, personæ sue constituent; quæstiones sanè sunt de rebus articulos fidei concernentibus, nullo tamen modo de ipsis articulis fidei proximè & immediatè. Neq; enim illicò articulum fidei vel affirmauerit, vel negauerit, qui hîc modalem aut virtualem aut eiusmodi aliquam distinctionem siue admiserit siue rejecerit. Negari tamen non potest, quæstionem esse de re, quæ ipsum fidei articulum non admodum remotè attingat: & nihilominus tali, quæ à paucissimis possit capi. Longiùs à fundamento absunt quæstiones de beatitudine angelorum, de modo quo moueant corpora, vel in corporibus appareant, vel sibi loquantur inuicem, & similes. Deinde aliæ sunt quæstiones, quæ propiùs aut proximè praxin respiciunt, & sine quibus decisæ aut exerceri praxis non possit, aut ita commodè & expedite non possit. Quales potissimùm circa Sacramenta solent emergere. Tales sunt si quærat, num laicus vel fæmina vel non-baptizatus baptismum queant conferre; num iterum sint baptizandi, qui ab hæreticis fuerint baptizati; num si copia vini fuerit, aquæ nulla, illud hujus vicem possit supplere. Parum verò aut nihil ad praxin facit, si quæram, num sacramenta, quod efficiunt, efficiant vt instrumenta moralia, vel naturalia.

L. Eiusmodi quæstiones omnes siue practicæ fuerint, vt ita dicam, siue theoricæ, siue propiùs siue remotiùs fundamenta contingant, quia tamen nec hæ, nec illæ fundamenta sunt, ideo sine dispendio salutis ignorari, vel amicè inter eruditos disceptari possunt. Caritas

tas

tas suprema esto regula, per quam seruetur concordia
& vnio, & prohibentur schismata. Absque caritate si
fuerit; *etiamsi loquar linguis hominum & angelorum, factus
sum as resonans aut cymbalum tinniens: etiamsi habeam pro-
phetiam, & nouerim mysteria omnia, omnemq; cognitionem, ca-
ritatem autem non habeam, nihil sum, ait Paulus I Cor. XIII,
1 & 2.* Et monitum eiusdem altè animo infigendum ex
Philipp. III, 14 & 15: *Si quid aliter sentitis, hoc quoq; vobis
Deus reuelabit: attamen in eo, ad quod usq; peruenimus, eadem
incedamus regulà & idem sapiamus.* Hactenus itaque si præ-
fideat caritas, vti inter Christianos omnino oportet,
nullo opuserit infallibili iudice.

LI. Quæstio sanè magni erat momenti & pluri-
mùm ad praxin faciens, num denuò baptizandi essent,
qui fuissent baptizati ab hæreticis. In eâ contra Step-
hanum Romanum sequiorem sententiam amplexus fuit
cum Africanis multisque orientalibus Ciliciæ, Galatiæ
& Cappadociæ episcopis Cyprianus; nec mutauit,
quamdiu vixit, nihilominus egregius Christianus, quin
eximius Ecclesiæ doctor, & fidelis Iesu Christi mar-
tyr. Nec in Romano vllam decidendi auctoritatem vel
infallibilitatem vmquam agnouit, quam sanè tantus e-
piscopus & doctor nec ignorasset nec negasset, si vlla es-
set, aut si, vt hodie fingitur, potissimum esset Ecclesiæ
post Christum præsidium & firmamentum. Neq; enim
ille acerbissimè perstringere Stephanū dubitauit, quum
ab eo epistolam suæ sententiæ oppositam accepisset. Ita
enim scribit ad Pompeium: *Quamquam plenè ea qua de* Epist. 74.
*hæreticis baptizandis dicenda sunt, complexi sumus in epistolis,
quarum ad te exempla transmisiimus, frater carissime, tamen
quia desiderasti in notitiam tuam perferri, qua mihi ad litteras
nostras Stephanus frater noster rescripserit, misi tibi rescripti
eius*

eius exemplum, quo lecto magis ac magis eius errorem denotabis, qui hereticorum causam contra Christianos, & contra Ecclesiam Dei adferere conatur. Nam inter cetera vel superba, vel ad rem non pertinentia, vel sibi ipsi contraria, qua imperite atq; improvide scripsit, etiam illud adiunxit, ut diceret: Si quis ergo à quacung; heresi &c. Aquacung; heresi venientem baptizari in Ecclesia vetuit, id est, omnium hereticorum baptismata iusta esse & legitima indicavit. Et quum singula hereses singula baptismata & diuersa peccata habeant, hic cum omnium baptismo communicans, vniuersorum delicta in sinum suum coacervata congestit. Hæc sanctus martyr Cyprianus. Qui numquam a deo acriter Romanum episcopum reprehendisset, si ipsum à Deo vniuersæ ecclesiæ præpositum auctoritate diuinitus concessâ, quâ dubia religionis infallibiliter decideret, pollere credidisset.

LII. Operæ precium est subicere, quæ de hoc ipso certamine iudicavit & scripsit sanctus magnusque doctor Augustinus. Quum in mentionem eorum, quæ modò recitabamus, incidisset, *Iam illa, inquit, quæ in Stephanum irritatus effudit, retractare nolo, quia & non opus est. — Stephanus & abstinendos putauerat, qui de suscipiendis hereticis priscam consuetudinem conuellere conarentur. Iste autem Cyprianus quæstionis ipsius difficultate permotus, & sanctis caritatis visceribus largissime præditus, in vnitatem cum eis manendum, qui diuersa sentirent. Ita quamuis commotius, sed tamen fraternè indignetur, vicit tamen pax Christi in cordibus eorum, ut in tali disceptatione nullum inter eos malum schismatis oriretur. Non autem hinc vberius excreuerunt hereses & schismata, quia id, quod in eis Christi est, approbatur; quod autem ipsorum est, improbatur. Ista libro v de baptismo contra Donatistas, cap. xxv. Adde ex libri de vnico baptismo contra Petilianum cap. xiv: *Ecce duo erant vno tempore,**

pore, ut de aliis taceam, qui diuersa sentiebant: duo, inquam, erant eminentissimarum ecclesiarum Romana scilicet & Carthaginensis episcopi, Stephanus & Cyprianus, ambo in unitate catholica constituti. Quorum Stephanus baptismum Christi in nullo iterandum esse censebat, & hoc facientibus grauer succensebat. Cyprianus autem in heresi vel schismate baptizatos, tamquam non habentes baptismum Christi, baptizandos in ecclesia catholica existimabat. Multi cum illo, quidam cum isto etiam sentiebant, utriusque cum eis in unitate consistentes. Et contra Gaudentium libro tertio: Quando rebaptizabat Cyprianus ab hereticis venientes, ecclesie Carthaginensis episcopus; tunc ecclesie Romanae Stephanus episcopus in eodem baptismo, quem foris acceperant, suscipiebat hereticos: & ambo haec diuersa facientes in unitate catholica permanebant. Ex his & multis aliis manifestum est, ab Augustino Stephanum & Cyprianum habitos ut pares: minimè verò illum ut principem, hunc ut subditum; illum ut supremum iudicem, cuius sententiae obniti nefas esset, hunc ut hominem, qui non posset absque notâ impietatis obsequium detrectare.

LIII. Dicit Augustinus tum in Stephano, tum in Cypriano quod Christi sit, approbari; quod autem ipsorum sit, improbari. Ipsorum est, quod Cyprianus errat, Stephanus ad tollendam communionem & scindendam unionem inclinat: Christi verò est, quod Stephanus ad veritatem propius accessit, Cyprianus non obstante sententiarum diuersitate pacis ecclesiasticae seruandae fuit studiosissimus. Nec abs re fuerit, verba nonnulla Cypriani huc facientia adscribi. Synodum Africanorum episcoporum Carthagine, ut de hac quaestione dispiceret, congregatam in hunc modum affatur: *Supereſt, ut de hac ipsâ re, baptismo videlicet hæreticorum, singulâ quid sentiamus proferamus, neminem iudicantes, aut à iure com-*



munitionis aliquem, si diuersum senserit, amouentes. Neq; enim quisquam nostrum episcopum se esse episcoporum constituit, aut tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem collegas suos adigit, quando habeat omnis episcopus pro licentiâ libertatis & potestatis suæ arbitrium proprium, tamq; iudicari ab alio non possit, quàm nec ipse potest alterum iudicare. Sed exspectemus vniuersi iudicium Domini nostri Iesu Christi, qui vnus & solus habet potestatem & praeponendi nos in ecclesiæ suæ gubernatione, & de actu nostro iudicandi. Hæc Cypriani verba recitat & laudat Augustinus libro secundo de baptismo contra Donatistas, cap. II; & libro III, cap. III; & libro IV, cap. XIX; & libro VI, cap. VI.

Epist. 73.

LIV. Quum etiam eadem de re ad Iubaianum scripsisset, epistolæ similem epilogum subiicit, itidem ab eodem Augustino sæpius productum & laudatum. Hæc tibi, ait, breuiter pro nostrâ mediocritate rescripsimus, frater carissime, nemini præscribentes aut præiudicantes, quò minus vnusquisq; episcoporum quod putat faciat, habens arbitrij sui liberam potestatem. Nos quantum in nobis est, propter hereticos cum collegis & cœpiscopis nostris non contendimus, cum quibus diuinam concordiam & dominicam pacem tenemus: maximè quum & Apostolus dicat: Si quis autem putatur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habeamus, neq; Ecclesia Dei. Seruatur à nobis patienter & firmiter caritas animi, collegij honor, vinculum fidei, & concordia sacerdotij. Ita sanctus Cyprianus, quem inter raros & paucos excellentissima gratie viros (verba sunt Augustini) numerat pia mater Ecclesia, — quamdiu de hac re aliter sapuit, quàm veritas diligentius considerata patefecit, donec ei Deus id quoq; reuelaret; ineffabili laude caritatis unitatem pacemq; catholicam etiam cum collegis suis, à quibus aliter sapuit, non reliquit. Hæc pariter Augustinus libro II contra Cresconium, cap. xxxi. Et libro primo de baptismo

de de bapt.
cont. Don.
cap. 2.

ptismo contra Donatistas, cap. xlix, illis temporibus, inquit, antequam plenarij concilij sententiâ quid in hac re sentiendum esset, totius Ecclesie consensus confirmasset, visum est ei cum ferme octoginta coepiscopis suis Africanarum ecclesiarum, omnem hominem, qui extra Ecclesie catholicae communionem baptizatus fuisset, oportere ad ecclesiam venientem denuo baptizari. Quod non rectè fieri tanto viro nimirum propterea Dominus non aperuit, ut eius pia & humilitas & caritas in custodiendâ salubriter Ecclesie pace patesceret, & non solum illius temporis Christianis, sed etiam posteris ad medicinalem, ut ita dicam, notitiam signaretur. Quum enim tanti meriti, tantæ ecclesie, tantè pectoris, tanti oris, tantæ virtutis Episcopus aliud de baptismo arbitraretur, quàm erat inquisita diligentius veritas firmatura, multiq; eius collega, quamvis liquido nondum manifestatum, id tamen tenerent, quod & præterita Ecclesie consuetudo, & postea totus catholicus orbis amplexus est: non se ille tamen à cæteris diuersa sentientibus separatâ communionem disiunxit, & hoc etiam cæteris persuadere non destitit, ut sufferrent inuicem in dilectione, studentes seruare unitatem spiritus in vinculo pacis. Et certè si hac ipsâ de re & quæstione possunt in Ecclesiâ esse diuersæ non modò sententiæ, sed rationes etiam operandi, saluâ caritate & absq; vlllo schismate, poterant quoque esse de aliis eiusdem generis quæstionibus, quæ pleræque tanti non fuerint momenti, quanti est ista.

L V. Porro notum est, quæ hodie à quinquaginta & pluribus annis inter ipsos Pontificios de efficaciâ gratiæ, determinationibus diuinis, & electionis decreto, rebus profectò fidem Christianam satis è propinquo concernentibus, agitentur controuersia & ferueant dissidia, nullo in hunc vsque diem per decisionem Pontificis adhibito remedio. Si per tot annos, imò ab æuo Apostolorum ad hæc vsque tempora, decisione earum quæstio-

quæstionum carere potuit Ecclesia, poterit quoque in posterum carere, vt propter quæstiones, de qualibus modò sermo nobis est, visibilem quemdam iudicem dari & infallibilitate pollere, nihil omnino opus sit. Adde- dere possem controuersiam de immaculatâ, vt vocant, conceptione beatissimæ virginis Θεοτόκου, ab aliquot se- culis inter Dominicanos & Franciscanos agitatum. Quam etiamsi Reges Hispaniæ Philippi tertius & quar- tus à Pontificibus Paulo v & Gregorio xv tandem defi- niri per splendidas legationes petierint, obtinere ta- men non potuerunt. Interdicunt quidem in gratiam Regum Paulus quintus, ne aduersus conceptionem à peccato immunem publicè differatur; Gregorius etiam xv, ne priuatim: Dominicanis tamen, publicè etiam af- fixo programme, concedit, *vt in quibuscumq; priuatis colloquijs seu conferentijs, inter se dumtaxat, & non inter alios aut cum alijs, de materiâ eiusdem conceptionis B. Virginis disse- rere ac tractare liberè & licitè possint & valeant.* Etsi itaque constituit Gregorius xv, ne qui sermonibus & scriptis priuatis audeant asserere, quòd B. virgo in originali pec- cato fuerit concepta, *nec de hac opinione affirmatiuâ aliquo modo agere seu tractare,* excipit tamen, vt diximus, Do- minicanos; & per hoc ipsum decretum, die xxiv Mar- tij, anno cld̄ l̄o cxxii emissum, *non intendit sua sancti- tas, vt habent decreti verba, reprobare hanc opinionem de B. virgine in peccato conceptâ, nec ei vllum prorsus praiu- dicitium inferre, eam relinquens in iisdem statu & terminis, in quibus reperitur, præterquam quò ad in Pauli v & hoc suo decre- to disposita.* Historiam legationum & Pontificiarum re- sponstionum prolixè descripsit Lucas VVaddingus Hi- bernus, excusam Antuerpiæ. Possunt sanè, etiam sine tali Pontificio decreto, quæstiones aliæ, quæ saluis fidei & salu-

An. 1614.



& salutis fundamentis, & saluâ vnione & caritate, inter
pios & eruditos agitantur, *in iisdem statu & terminis, in
quibus reperiuntur, relinqui.*

LVI. Cæterum, inquires, etiamsi decisione quæ-
stionum juxtâ emergentium, & ex se *minuè* *causam* *men-*
tialium, absolutè *opus non sit, ut* tamen opus ad bene
esse Ecclesiæ, vt si aliàs membrorum eius fuerit con-
cordia, præter hanc etiam sit conformitas inter sese o-
mnium eò concinnior, quò major consensus. Quin eti-
amsi ob eiusmodi opinionum diuersitatem non statim
exoriarur schisma, est tamen periculum schismatis: ne-
que enim omnes pari caritate præditi sunt, vt dissentien-
tes æquo semper animo tolerant. Quanti à Pontifi-
cibus hæ rationes fiant, paullò antè adlata exempla nos
docuerūt. Ego verò aio, quòd viuâ & vera Ecclesiæ mem-
bra caritate destitui absurdum sit. Nam *finis mandati est*
caritas ex mundo corde, 1 Tim. v, 1. Absq; hac actionum
& disputationum humanarum moderatrice si fuerit,
quantamcumque dederis peritiam, quotcumque Pon-
tificias decisiones, nihilominus ex ambitione, æmulati-
one & φιλονομία, sat erit schismatum. *Scientia inflat, cari-*
tas edificat, vt monet Paulus 1 Cor. i ix, 1. *Non quòd veram*
scientiam de Deo culpet, alioquin se ipsum primùm accusaret, sed
quia sciebat quosdam sub occasione scientiæ elatos excidere à dile-
ctione Dei. Verba sunt & interpretatio Irenæi libro 11
cap. xlv. Neque verò tam bene in hac viâ & vitâ Eccle-
siæ vult esse Deus, vt nihil ignoret & omnium certam
cognitionem adsequatur, sed hoc tam perfectum bene
esse alteri vitæ reseruauit: *nunc ex parte & aliquatenus co-*
gnoscimus, & ex parte prophetamus, 1 Corinth. xiii, 9 &
12. Interim ne vnus ignorantia, alterius scientia vnio-
nem soluant & schismata inuehant, caritas præstabit,

G

que



quæ nemini inuidet, non inflatur, non agit indecorè, non exacer-
batur, non cogitat malum, defectus obtegit, omnia sperat, omnia
sustinet, 1 Cor. xlii, 4 & seqq. 1 Pet. iv, 8. Prouerb. x, 12.

L VII. Neque tamen in eiusmodi dubiis omni
ope, per quæ ad veritatis cognitionem perueniamus,
destituti sumus, præsertim illis, quæ fundamenta siue
ipso fidei articulos propius concernunt, aut ad praxin
siue etiam Ecclesiæ tranquillitatem multum faciunt. Si-
cut enim in aliis disciplinis vsu venit, vt admissis princi-
piis tandem ex iis veritas, quamuis remotior, eruatur,
& communi consensu stabiliatur; ita quoque quod
attinet disciplinam & eruditionem theologicam. Arti-
culi fidei simpliciter & absolutè necessarij, qui hoc casu
tamquam principia & fundamenta quædam nobis sunt,
quibusq; saluis salua est Ecclesia, à nemine verè Christi-
ano ignorari aut in dubium vocari possunt. Quæ cum
principiis hisce proximè, formaliter & immediatè pu-
gnant, hæreses sunt, & non magis à quoquam Christiano
admittentur, quàm negantur aut ignorantur ipsi articuli.
Ex hisce autè articulis tamquàm principiis positis & rece-
ptis facilè deducuntur aliæ veritates, & eò facilius, quò
principiis sunt propinquiore; redarguuntur etiã falsi-
tates, & facilius illæ, quæ proximius cum principiis pug-
nant. Sicut enim nulla est conclusionū verarū, quæ non
deducatur ab aliquo principio vero, indubitato & ab
omnibus concesso, siue propinquiùs siue remotiùs, id
est, per plures aut pauciores consequentias; ita quoque
& pari modo nulla est conclusio falsa, quin cum princi-
pio aliquo eiusmodi pugnet. Interim quia saluis prin-
cipiis siue fundamentis salua ipsa in tuto est, nec peri-
culum in morâ inquirendi & dispiciendi, obtinebit hîc
quod in omnibus alijs disciplinis, nempe vt dies diem
doceat,

doceat, & in veritatis cognitionem communi quodam eruditorum consensu stabiliendam tandem deueniatur.

LII X. Agnoscenda autem est & prædicanda, sicut in omnibus aliis, ita potissimum in hisce, quæ ad hominum salutem & ecclesiæ informationem faciunt, singularis Dei prouidentia. Sunt enim religionis nostræ Christianæ duo præcipua mysteria, nempe Trinitatis, & Incarnationis siue Unionis personalis duarum in Christo naturarum; quorum fide non modò à gentilibus, sed à Iudæis quoque & Muhammedanis discernimur. Hi enim quum mundum creatum esse, mortuos resuscitatum iri, & supremum quoddam iudicium fore credant; neutri tamen vel Trinitatis vel Incarnationis mysterium admittunt. Quum igitur hæc duo omnium summa sint & Christianis quali propria mysteria, quorum prius ad *θεολογίαν*, posterius ad *οικονομίαν* veteres retulerunt; si vtrumque ab improbitate hæreticâ vindicetur & dextrè explicetur, maximæ difficultates jam superatæ erunt, cum quibus, si quæ aliæ superfuerint, comparari neutiquam poterunt. Fecit itaque, qui omnia sapientissimè gubernat, & ad sui nominis gloriam, suæque ecclesiæ emolumentum dirigit, vt priusquam discerpere-
tur Romanum imperium, & eruditionem barbaries opprimeret, & priusquam ipsæ orientis & occidentis ecclesiæ implacabili schismate diuellerentur; fecit, inquam, vt imperium Christianis imperatoribus subderetur, & fecit vt, quum res imperij adhuc vtrumque integræ, & ecclesiæ vnitæ essent, haberentur per istam opportunitatem prima illa & celeberrima œcumenica concilia, à quibus vtrumque mysterium, & quæ cum ad *θεολογίαν* tum ad *οικονομίαν* pertinent, per luculentas for-



mulas accuratè exponerentur, in vsum non tam vulgi
quàm doctorum, & quidem totiùs post-futurae ecclesiae,
& informationem vniuersae posteritatis, variis postilla
casibus & euentibus exponendae, & numquam parem
opportunitatem & paria concilia habituræ. Nos etiam
his acquiescamus, Dei prouidentiam & benignitatem
laudemus, & medendis ecclesiae miserè afflictæ & distra-
ctæ vulneribus inuigilemus.

LIX. Atque ita quidem præcipuis Christianæ
fidei articulis, horumque explicationi prospectum.
Quum Pelagius & adfectæ peccatum originis & necessita-
tem gratiæ impugnarent, per Mileuitanam, & deinceps
Arausicanam synodum his quoque dogmatibus, quan-
tum satis esse queat, consultum. Quin non nemini vi-
deri possit, post tot emensa secula vix vllam alicujus mo-
menti moueri posse quæstionem, de quâ non pridem in
communem quamdam sententiam pij & eruditi conue-
nerint: qualis haut temerè & non nisi ex vrgentissimâ
causâ in dubium trahenda. Fieri quidem potest, quem-
admodum scribit Augustinus, *ut in obscurissimâ quæstione
verius pluribus vnus paucius sentiant, sed non facile pro vno vel
pro paucis aduersus innumerabiles eiusdem religionis & unitatis
viros, & magno ingenio & ubere doctrinâ præditos, nisi pertra-
ctatis pro viribus atq; perspectis rebus, ferenda sententia est.* Si
igitur importunitate vel objectionibus aduersariorum
veritatis ad abstrusiora quædam rimanda compella-
mur, & sicut Hilarius loquitur, *in vitium vitio coarctemur
alieno,* aut aliàs occasio vel necessitas oboriatur nouam
quæstionem mouendi, vel opinionem communiter re-
ceptam tentandi; totum negocium non nisi inter eru-
ditos tractetur, seruata moderatione & saluâ concordia.
Loquor autem de quæstionibus alicuius momenti, ut
antea

3 de bapt.
cont. Don.
cap. 4.

Lib. 2 de
Trinit.

antea dicebam, & quamuis non fundamentalibus, cognitu tamen dignis, & omni usu non destitutis. Absit omnino curiositas, adsit autem, imò præsit caritas; & multis malis obuiam ibitur.

LX. Quæ ex principiis, quæ antea memorabamus, per certas consequentias siue deduci, siue erroris coargui nequeunt, omnino indifferenter habenda sunt: & satis est, quin multum est, eò profecisse usque, ut scias nihil sciri de talibus certi posse. Rectè Augustinus quum ageret de corporibus, in quibus apparuerunt angeli, Enchiridio ad Laurentium, cap. LIX, *Quum ista, ait, queruntur, & ea, sicut potest, quisq; coniectat, non inutiliter exercentur ingenia, si adhibeatur disceptatio moderata, & absit error opinantium se scire quod nesciunt. Quid enim opus est, ut hæc atq; huiusmodi affirmentur vel negentur vel definiantur eum discrimine, quando sine crimine nesciuntur?* Nempe ad peritiam & eruditionem fortè faciant, sed ad fidem, per quam seruamur, nihil faciunt. A curiosis tamen autociosis ingeniis sæpe, sæpius ab inquietis & ambitiosis ea mouentur, quæ nihilo maiorem habeant vtilitatem quàm certitudinem: atque adeo quemadmodum nulla suppetunt argumenta, quibus finiantur vel terminentur; ita in anxiam eorum disquisitione opera ludatur.

LXI. Eiusmodi curiositas & *ἄεργία* numquam necessaria, ut plurimum inutilis & ociosa, sæpe etiam noxia & perniciosa, fidelibus vitanda est. Quò facit præceptum Apostoli i Tim. I, 4: *Non attendant fabulis & genealogijs numquam finiendis, quæ potius quæstiones præbent, quàm adificationem Dei, quæ est per fidem.* Et cap. VI, 4: *Ex quæstionibus & logomachijs nascitur inuidia, lis, maledicentia, suspiciones male, peruersæ exercitationes hominum mente corruptorum.* Iubet itaque *μη ὑπερφεγεῖν παρ' ὁ θεῖ φεγεῖν, ἀλλὰ*

ῥεγνῆν εἰς τὸ σωθῆναι, Rom. xii, 3. Monitis Apostolicis
operæ pretium subijcere dicta duorum antiquissimo-
rum grauissimorumque Ecclesiæ doctorum, Irenæi vi-
delicet & Hilarij. Ille quidem loco, quem superius cita-
bamus, *Melius est, inquit, nihil omnino scientem quempiam, ne*
quidem unam causam cuiuslibet eorum, quæ facta sunt, cur fa-
ctum, & credere Deo, & perseverare in eius dilectione, quæ ho-
minem viuificat, nec aliud inquirere ad scientiam, nisi Iesum
Christum Filium Dei, qui pro nobis crucifixus est, quàm per que-
stionum subtilitates & multiloquium in impietatem cadere.
Iste quum sub finem libri de Trinitate decimi, locum ex
decimo ad Romanos expendisset, *Prope te verbum est in*
ore & in corde tuo, hoc est verbum illud fidei quod prædicamus:
nempe si professus fueris ore tuo Dominum Iesum, & credideris in
corde tuo, quòd Deus eum suscitauit ex mortuis, seruaberis: quum
inquam, hunc locum expendisset, subiungit, Non in in-
certa disfluere, neq; ad stultiloquia efferuere, neq; ratione aliqua
virtutes Dei ventilare, neq; modo circumscribere potestatem,
neq; causas inuestigabilium sacramentorum retractare; Do-
minum Iesum confiteri, & à Deo suscitatum à mortuis credere,
salus est. Et mox: In simplicitate itaq; fides est, in fide iustitia
est, in confessione pietas est. Non per difficiles nos Deus ad bea-
tam vitam quæstiones vocat, nec multiplici eloquentis facundia
genere sollicitat. In absoluto nobis ac facili est æternitas, Iesum
suscitatum à mortuis per Deum credere, & ipsum esse Dominum
confiteri.

LXII. Sicut igitur antea dicebamus, quæstiones
curiosæ & inutiles præcidantur & cohibeantur. Quæ
verò quòd vel articulos fidei propiùs attingant, vel ad
objectiones hæreticorum & infidelium soluendas faci-
ant, vel ad praxin aliquid conferant, omnino præcidi
nequeunt, quoniam tamen absolutè necessariae non
sunt.

sunt, inter doctos, (minimè autem vel à vulgo, vel coram vulgo) tractentur, & cum moderatone & necessariis ab eruditione præfidiis ventilentur tam diu (neque enim in morâ periculum) donec in vnam aliquam communibus principiis consonam sententiam conspiretur. Id quod fiet tandem, si fuerit quæstio ad ædificationem faciens, cuiusque explicatione siue decisione aliquâ commodè aut in perpetuum carere nequeat Ecclesia, cui in tali casu non decrit benignitas diuina & Sancti spiritus gratia; & si fuerint, qui controuersiam tractant, viri pij, & non minùs moderati quàm eruditi. Neutram enim dotem in iis, quibus tale quid committatur, desiderari oportet: & quod antea inculcauimus, nunc quoque repetimus, caritatis præcipuam rationem habendam, eamque huiusmodi disputationum præsidem constituendam esse. Quamdiu videlicet in quæstione huius generis quacumque conueniri non potest, vnitatem & pacem ecclesiæ caritas tuebitur & tutam præstabit, sicut nos docuit insigne sancti Cypriani exemplum. *Hoc est igitur præceptum Dei, ut credamus nomini Filij eius Iesu Christi, & diligamus alij alios, sicut præcepit nobis, I Ioh. III. 23.*

LXIII. Vbi itaque creditur in Filium Dei humani generis seruatorem & redemptorem, & alij alios diligunt, ut genuinos Dei filios & Christianos decet, ad determinandas quæstiones nullâ opus est infallibilitate Pontificiâ, in se prorsus improbabili, veteribus omnibus ignoratâ, posterioribus & sequioribus demum seculis timidè & per ambages propositâ, tandem autem superiore seculo cæteris erroribus & superstitionibus in cumulum siue animosè siue desperanter additâ. Si, ut hodie docetur, absque infallibilitate Pontificis nec Scriptura intelligi, nec quidquam certi de religione fidelibus consta-

constare posset, faceret ea in scriptis antiquorum Eccle-
siæ doctorum vtramq; paginam, & ad eam in disputati-
onibus ac controuersis quibuscumq; passim fideles re-
mitterentur. Nunc verò altum de eâ vbiq; apud anti-
quiores silentium. Quin mediæ etiam & infimæ ætatis
scriptoribus plerisq; aut ignoratur, aut negatur, adeo vt
quum ante seculum & quod excurrit, caput audaciùs a-
liquanto proferret, non minùs audacter viri quiq; præ-
stantissimi contradixerint. Nos è multis vnum tantum
modò producimus Hadrianum Florentium, postea Pon-
tificem eo nomine sextum. Verba eius sunt in Quartum,
de sacramento Confirmationis art. III sub finem: *Cer-
tum est quòd Pontifex possit errare etiam in ijs, quæ tangunt fi-
dem, hæresin per suam determinationem aut decretalem asseren-
do. Plures enim fuerunt Pontifices Romani hæretici. Et addu-
cit exempla. Tandem ait: Euacuare intendo impossibilitatem
errandi, quam alij asserunt. Plures adducere supersedeo,
quum certò constet, & nos alibi quoq; ostenderimus,
non ita pridem ab ipsis recentioribus, admodum illu-
stribus & eruditis Pontificiis, infallibilitatem illam reje-
ctam & improbatam fuisse: tantum abest, vt pro funda-
mento fidei & religionis habuerint. Quo loco haberi
omnio necesse foret, si aliqua esset, & talis esset, qualem
hodie fingunt Iesuitæ. De priscis igitur Ecclesiæ docto-
ribus non opus est quidquam adjicere. Si determinati-
ones & definitiones & decretales Romani episcopi in-
fallibiles essent, numquam scripsisset Augustinus: *Ego
Epist. 19. solis eis Scripturarum libris, qui iam canonici appellantur, didici
hunc timorem honoremq; deferre, vt nullum eorum auctorem
scribendo aliquid errasse firmissimè credam. Alios autem ita le-
go, vt quantalibet sanctitate doctrinaq; præpolleant, non ideo ve-
rum putè, quia ita ipsi senserunt, sed quia mihi vel per illos aucto-
res ca-**

res canonicas, vel probabiliratione, quod à vero non abhorrent,
persuadere potuerunt. Si non minùs errorum immunia es-
sent Pontificum rescripta & decreta, quàm sunt Scri-
pturæ, nec illis minùs quàm istis Ecclesia regeretur;
vtique eo in loco vtraque conjunxisset Augustinus, nec
solas Scripturas canonicas dixisset, quum addere debu-
isset scripta decretalia Pontificum.

LXIV. Adscribam adhuc locum alium priori
geminum è libro secundo de baptismo contra Donati-
stas, cap. III. *Quis nesciat Sanctam scripturam canonicam,
tam Veteris quàm Noui testamenti certis suis terminis contine-
ri, eamq; omnibus posterioribus Episcoporum literis (Romani
Decretales non excipiuntur) ita præponi, vt de illà omnino
dubitari & disceptari non possit, vtrum verum vel vtrum re-
ctum sit, quidquid in eâ scriptum esse constiterit: Episcoporum
autem literas, quæ post confirmatum canonem vel scriptæ sunt
vel scribuntur; & per sermonem fortè sapientiore cuiuslibet in
eâ re peritioris, & per aliorum Episcoporum grauiorem auctoritatem,
doctiorumq; prudentiam, & per concilia licere reprehendi,
si quid in eis fortè à veritate deuiatum est: & ipsa concilia quæ
per singulas regiones vel prouincias fiunt, plenariorum concilio-
rum auctoritati, quæ fiunt ex vniuerso orbe Christiano, sine vl-
lis ambagibus cedere, ipsaq; plenaria sepe priora posterioribus e-
mendari, quum aliquo experimento rerum aperitur quod clausum
erat, & cognoscitur quod latebat, sine vllò typho sacrilegæ super-
bia, sine vllâ inflatâ ceruice arrogantia, sine vllâ contentione li-
uide inuidia, cum sanctâ humilitate, cum pace catholicâ, cum ca-
ritate Christianâ. Ne quidem plenariis conciliis infallibi-
litate aliquam tribuit Augustinus, sed priora à poste-
rioribus dicit emendari posse. Sicut reuera quòd œcu-
menicarum synodorum symbola & confessiones extra
dubium ponuntur, & orthodoxæ sinceræque esse cre-*

H


dun-


duntur, non inde habent, quòd sint œcumenicarum syno-
dorum, sed quia demonstrari potest, quòd Sacræ scripturæ
consonent, & quia vnanimi consensu ab vniuersali ecclesiâ
dudum recipiuntur. Plenaria autem concilia apud Augusti-
num, vt id quoque moneamus, duplicia: nempe œcumenica
de quibus hoc in loco potissimum loquitur, qualia tan-
tum duo, Nicænum videlicet & Constantinopolitanum, pri-
usquam Augustinus è viuis excederet, habita; & plenaria di-
œceseon. Diœcesis autem erat administratio quarumdam
prouinciarum, quas vnitas Præfecti prætorio & eorum vica-
rij regerent. Diœcesis Africæ, in quâ degebat Augustinus,
prouincias habebat Proconsularem Carthaginensem,
Numidiam, Byzacenam, Tripolitanam, & duas Mauritani-
as. Ex his prouinciis coacta concilia Canones Africani sæ-
pe vocant *plenaria*; item *vniuersalia*. Canon xc v sancit,
*concilium vniuersale non nisi necessitate faciendum — quoties exegerit
caussa communis, id est, totius Africa.* Epistolâ ad Celestinum Ro-
manum: *Vnicuiq; concessum est, si iudicio offensus fuerit cognitorum,
ad concilia sue prouincie, vel etiam vniuersale pronocare.* Aliquoties
autem dicit Augustinus, suo tempore de baptismo hæretico-
rum extitisse plenarij concilij sententiam, quæ non extiterit
tempore Cypriani. Ita loco paullo antè producto: *Nec nos ipsi
tale aliquid auderemus adserere, nisi vniuersæ ecclesie concordissimâ au-
toritate firmati: cui & ipse Cyprianus sine dubio cederet, si iâ illo tem-
pore questionis huius veritas eliquata & declarata per plenarium conci-
lium solidaretur.* Et libro v i eiusdem operis, cap. ii: *Aliter sensit
de schismaticis vel hæreticis baptizandis, quàm postea veritas prodidit,
non ex meâ, sed ex vniuersæ ecclesie sententiâ, plenarii concilii auctorit-
ate roboratâ atq; firmatâ.* Si jam quærat, quòdnam illud plena-
rium concilium fuerit, existimem Nicænum fuisse: eius enim
canone xix statuitur, Paulianistas esse rebaptizandos; canone
verò iix, Catharos siue Nouatianistas ad Catholicam reuersos
acceptâ manuum impositione in clero manere posse. Nempe illi
formulam immutauerant, non isti. Illi itaq; iubentur baptiza-
ri, non isti. Et hinc eius controuersie decisio arcessenda: vt
proinde errauerit tum Cyprianus, qui omnes schismaticos &
hæreticos denuò baptizaret; tum Stephanus, qui nullos.

Cætera alteri Exercitationi reseruantur.

INDEX Disputationum Theologicarum
quae sub Praesidio Clariss. et Doctiss.
D. Georgii Calixti P. P. Helmstadii
habita sunt.

- 1 De Communionis sub utraque specie
- 2 De Perfecte summo bono liber unus
- 3 De Gratia per fidem justificatione
- 4 De Corpore et Sanguine Christi
- 5 De Sacra scriptura
- 6 De Sacrificio Christi. 1
- 7 De Sacrificio Christi. 2
- 8 De Sacrificio Christi. 3
- 9 De Autoritate antiquitatis Ecclesiasticae
- 10 De Haeresi Nestoriana
- 11 De Baptismo
- 12 De Purgatorio
- 13 De Visibili Ecclesiastica Monarchia 1
- 14 De Visibili Ecclesiastica Monarchia 2
- 15 De Transsubstantiatione





449
41


ULB Halle 3
004 356 08X


f

sb.

449







73
13214 f. 200m

CYN OEQ.
DE

VISIBILI ECCLESIASTICA MONARCHIA CONTRA PONTIFICIOS

EXERCITATIO,

QVAM
SVB PRÆSIDIO

GEORGI CALIXTI
S. THEOL. D. ET PROF.

PVBLICE
IN ACAD. IVLIA

die IIX Aprilis, horis ante & post meridiem

SVSTINEBIT

THEODORVS Danckwers
LVNEBURGENSIS.



HELMESTADI,
IN TYPOGRAPHEO CALIXTINO EXCVDIT
HENNINGVS MULLERVS.

CIO IXC XLIII.

